

53/3

17 - 20
1694 13a

Cum DEO!

EXERCITATIO JURIS
PUBLICI

DE

POTESTATE
PRINCIPIS

CIRCA RELIGIONEM,

QUAM

Ex Auctoritate

Magnifici JCTORUM ORDINIS,

Sub PRÆSIDIO

FRIEDER. AUGUSTI

Suedecens/

J. U. D.

In Auditorio Jctorum,

Ad d. Augusti 1694.

Publice tuebitur

LOTH SIEGMUND de MINCKWITZ

Eques Lusat.

WITTENBERGÆ, Typis MARTINI SCHULTZII.



Illustrissimo atque Excellentissimo
DOMINO,
DN. NICOLAO
a GERSDORFF,
SAC. ROM. IMP. BANDERE-
SIO & LIBERO BARONI,
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONICI
SENATUS SANCTIORIS DIRECTORI
NEC NON
COMITI, ET LUSATIÆ SUPERIORIS
PRÆSIDI PROVINCIALI SPLEN-
DIDISSIMO
DYNASTÆ IN BARUTHA, HENNERSDORF,
BREMİK, BUCHWALDA RACKEL. &c. &c.
HEROI IN TOGA INCLYTO
&
MÆCENATI SUMMO

Hoc grati animi & debitæ pietatis specimen sacrum
esse vult

TANTI NOMINIS

Additissimus Cultor

LOTH SIEGMUND de MINCKWITZ,



Q. D. B. V.

EXERCITATIO JURIS PUBLICI

De

POTESTATE PRINCIPIS
CIRCA RELIGIONEM.

L

Religionem, cultum illum sanctissimum, quo Deum tanquam summum omnium rerum gubernatorem veneramus, potissimum civilis societatis esse vinculum, pacisque ac tranquillitatis publicæ fundamentum, apud omnes fermè, quos novimus, populos, quamdiu stetit hoc rerum corpus, controversiâ ac dubitatione caruit. Quanquam enim per se imprimis ad Dei gratiam conciliandam valeat, habet tamen & suos in humana societate effectus maximos. Neque enim immerito PLATO *Lib. 10. de LL.* religionem propugnaculum potestatis ac legum & honestæ disciplinæ firmamentum vocat, nec injustè PLUTARCH. *in Lib. contr. Colot. p. 1125. lit. E.* eam nuncupat similiter $\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\upsilon\tau\iota\mu\acute{o}\nu\ \acute{\alpha}\tau\omega\acute{\alpha}\sigma\eta\varsigma$
A KOWO-

κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔργασμα, coagulum
omnis societatis & fundamentum legislationis.
Nam nihil ad conservandam Rempublicam reli-
gione fortius, nihil fide sublimius; Imo nihil est,
quod animos hominum consociet magis, & Rei-
publicæ compagem firmiter contineat. In hoc e-
nim vertitur Rempublicæ beatitas, ut cives fidelem
superioribus præstent observantiam, ad quam rem
qui aliud medium religione putat esse efficacius,
longe sane omnium Rempublicæ gerendæ perito-
rum iudicio decipitur. Siquidem religio optimum
est frænum & coercitio in animis ab omni rebel-
lione & insolenti motu, nihilque magis Reipubl.
conducere ac salutare esse potest, quam ut Dei me-
tu imbuantur cives, quem ubi vindicem timent
magis, quam iudicem humanum, divinam contra
ordinationem nihil molientur, & si meminerint,
omnibus rebus interesse Deum, abditosque & re-
trusos animi recessus nosse illum ac penetrare, for-
midine ac veneratione numinis ab impiis conati-
bus deterrebuntur. Proh Dei atque hominum fi-
dem! si nulla in Republica religio, nulla pietas,
quæ foret rerum facies? Pietate sublata, inquit CI-
CERO *L. 1. de Nat. Deorum.*, Fides etiam & societas
humani generis, & una excellentissima virtus justi-
tia tollitur. Pietate sublata, inquit PATERCULUS *L. 2.
in br.*, nemo sibi putabit turpe, quod aliis fuit fru-
ctuosum

Etuosum. Imo demum pietate sublata, ait **BODINUS** *de Rep. L. 4. c. 7.* omnis peccandi metus ex animo evellitur. Ut paucis multa complectar, sine religione ac pietate Respublica non magis constitui aut constituta servari potest, quam urbs sine solo. Sicuti enim solum est basis urbis, ita Religio est fundamentum Reipublicæ. Unde recte **Numa Pompilius** omnium primo civibus Deorum metum injiciendum esse autumavit, **LIVIUS** *Lib. 1. Hist. Rom.* Et scitè admodum **Theseus** Rem publicam Atheniensium præclare fundaturus à religione tanquam basi fecit initium, **PLUTARCHUS** *in vit. Th. serei* id quod conceptis verbis docet **SYNES.** *in or. de regn.*, quando ait: *Ευσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήθη κρητὶς ἀσφαλῆς, ἐφ' ἧς ἐσηζατὸ ἀγαλλμα ἔμπροσθεν τῆς βασιλείας*, i. e. interprete **LIPSIUS**: Pietas primum substernitor fulcrum & crepido, cui firmiter insistat hoc regni simulacrum.

II.

Cum igitur Religionis tanta vis sit in Republica, cum sit ejus fulcrum & fundamentum, quò subtracto & ipsam concidere, aut commoto saltem & ipsam nutare necesse est, inique profecto fecerit tam contra utilitatem publicam, quam contra dignitatem Majestatis, qui eam in alterius, quam hujus, imperio sitam esse contenderit. Cui enim Jurisdictio data est, illi ea quoque concessa videntur

cur, sine quibus Jurisdictio exerceri nequit, *L. 2. ff. de Jurisd. L. 5. de offic. ejus cui mand. est Jurisd.* & cui summa Reipublicæ salutis cura est commissa, illi & ea pariter commissa intelliguntur, sine quibus salus Reipublicæ non potest procurari, inter quæ, si quicquam aliud, primum locum sibi vindicat religio. *ARNISÆUS de Jur. Maj. c. 6.* Sane religionis cura & ordinatio sacrorum principi cuique summo ex vi ipsa Majestatis, qua pollet, & quâ princeps est, idque jure gentium competit. Non ergo ulli alii, sive in Republica inferiori, sive extra Rempublicam summo, sed soli Principi & Majestatem in Republ. habenti ea tribuenda est. Quantum enim circa cultum divinum vi patriæ & œconomicæ potestatis quivis paterfamilias in sua domo potest, tantum & plus etiam Jure gentium potest Princeps in suo territorio ac ditione, quippe qui omnes potestates inferiores subordinatas habet, & modo quodam eminenti sub Majestate sua continet. *ZIEGL. de Jur. Maj. l. 1. c. 13. §. 22.* Accedit quod in sacris literis custodiam utriusque tabulæ decalogi expresse principi commissam ac demandatam videamus, quæ curam circa sacra eidem luculenter defert, *Deuter. 17. v. 18.* Nec sinit insuper ipsa summi indoles imperii, ut penes alium quam Principem religionis cura sit. Eo ipso enim dum summum est, aliud summum juxta se pati ac perferre nequit,

nequit, sed reliqua omnia sub se continet & ordi-
nat; Quis verò nescit partem firmandi imperii po-
tissimam in benè firmata Religione consistere?
Quamobrem summum imperium circa hanc quo-
que regimen aliquod continebit, aut si non conti-
net, exemptio ut doceatur, erit necessarium; ZIEGL.
de Jur. Majest. l. 1. c. 13. th. 28. H. Grotius de Imp.
Summ. pot. circ. sacr. c. 1. §. 3.

III.

Summa quidem ope connixi semper sunt
exemptionem hanc probare Romanæ curiæ assen-
tatores, qui soli Papæ religionis curam tribuunt,
contra verò Principes & Magistratus seculares pe-
nitus excludunt; Sed rationes, quas attulerunt ha-
ctenus, & adhuc afferre solent, ita comparatæ sunt,
ut merito exclames cum Melicerta: de rebus periis-
se frontem! Summa enim impudentia defendere
ac propugnare minimè erubescunt, quoad divi-
num cultum à Pontifice totum Christianum or-
bem dependere; Illi enim à Christo in omnem Ec-
clesiam munus vicarium commissum esse, ut archi-
tectonicè eam regat ac gubernet. Hinc illi jus com-
petere doctrinam fidei Christianæ aliaque ad divi-
num cultum pertinentia constituendi, ac omnes de
fide controversias definiendi infallibili iudicio,
adeo, ut quod ab ipso definitum fuerit, sine certa
animæ pernicie in dubium vocari nequeat. Ex quo
Jure

Jure Majestatico Pontificis ulterius evincere conantur, in religionis negotiis omnes penitus Christianos ejus imperio subjectos esse, omnes sacrorum ministros, nec non bona sacra ejus unius imperio teneri, imo Reges & Principes in tantum ipsius legibus quoque esse obnoxios, ut si fortè illi aut non curare satis rem Ecclesiæ, aut ejus commodis obtare videantur, tum omni dignitate privare eos Pontifex exuereque valeat. vid. CONRING. in *Diss. de Maj. civ. aut E. off. circ. sacr. th. 25.* Ita garrunt, ineptiuntque in sui Pontificis gratiam mancipia papalis Sanctitatis; Ast fundamento horum omnium, dic quæso, quid debilius? Ex antea dictis jam satis manifestum est, civili Majestati competere natura sua sacrorum curam ac ordinationem; ad hæc tam ex Scriptura sacra, quam omnium gentium moribus ac institutis potest comprobari, ad eum, qui τὸ κέντρον habet in Republica, religionis curam pertinuisse semper; quo ergo Jure Pontifex eam seculari Magistratui eripere, sibi que soli vindicare potest? Sufficiat è sacro Codice exempli loco Davidem adduxisse, nec non Hiskiam & Josiam, qui circa sacra laudabiliter imperium exercuerunt. E gentibus verò Persæ præferendi erunt cæteris, de quibus Philostratus in vita Apollonii testatur, quod nemo apud eos ad imperii fastigium evehi potuerit, qui non antea Magorum disciplinam scientiamque per-

percepisset, eo fine scilicet, ut eo melius sacrorum
cura à summa Majestate administraretur. Quæ
cum ita se se habeant, Pontificem Romanum, dum
nihilominus, sibi solummodo & nulli alii compe-
tere sacrorum curam, oblatrare pergit, id omne
aut à Deo immutatum aut remissum esse ab omni-
bus populis, docere oportebit. Posterius factum
esse, nemo dixit hactenus, & insuper historiis ac re-
rum monumentis adversa fronte obluetur. Prius
autem contigisse, Pontificii ex iis, quæ Christus Pe-
tro dixit, probari posse autumant: *Dabo tibi cla-
ves regni cælorum, supra hanc petram ædificabo Ec-
clesiam meam, & pasce oves meas.* Verum per-
peram admodum hæc verba in fidem grandis Pa-
radoxii de sacra Monarchia Pontificis sanctissimi ab
iis proponuntur. Neque enim ibi diserte Servato-
ri sermo fuit de Majestate quâdam regiâ Sacrorum,
nec ulla Papæ facta fuit mentio, nec Petro demum
soli hic aliquid conceditur, quod non legamus ali-
bi omnibus Apostolis fuisse attributum. Præterea
etsi concederemus forsitan, Pontificem Roma-
num succedere in jura Petri, eaque omnia soli Pe-
tro seorsim esse demandata, super petram tamen
Ecclesiam ædificare, non est, concedere prima-
tum ac dominationem, regni cælorum claves da-
re, non est, imperium transferre in Ecclesias totius
orbis, nec oves tandem pascere, habere supremum

B

ac

ac immetatum regimen significare poterit. Vid.
CONRING. *cit. loc. θ. 32.* Sane nullo prorsus mo-
do omnia hæc dicta facere ad adstruendam papa-
lem Monarchiam, quod primitivæ Ecclesiæ peni-
tus ignota fuerit hæc ratio interpretandi, argumen-
to est certissimo. Vid. MARC. ANTON. *de DOMI-*
NIS de Rep. Eccles. L. 1. c. 6. 7. 8. Quamobrem si ex-
actius considerentur omnia, hæctenus non jure a-
lio, quam titulo pro possessore tantam potestatem
Pontifex sibi arrogare potuit ZIEGL. *de Jur. Maj.*
c. 13. §. 21. Qui titulus non magis eum tuebitur,
quam impium prædonem in vera ac legitima pos-
sessione dominum turbantem, & occupantem
rem alterius conatu temerario. Nec proderit ipsi
insuper aliqua præscriptio; Etiam si enim ea sæpe-
numero haud esset interrupta, ut cuncti, qui tem-
porum historiam nobis reliquerunt, unanimiter
testantur, ad illam evertendam tamen hoc uni-
cum sufficeret, quod nec præscriptione immemo-
rialis temporis queat fieri, ut, quod divino jure
non institutum est, ab eo institutum videatur. *Conf.*
H. GROTIUS de Imp. Sum. Pot. circa Sacr. c. 4. &
Henricus Henniges. c. 2. de Pot. Imp. circ. sacr.

IV.

Ast post papales parasitos non desunt alii, qui
summam Principi circa religionem potestatem
similiter prorsus denegant, eamque non Pontifici,
sed

sed potius Episcopis adscribunt. Quam sententiam imprimis amplexantur, qui Pontificem Romanum Episcoporum concilio subjiciunt, quorum in Gallis præcipuè quamplurimi reperiuntur. Nec ab his illi ex Protestantibus procul abeunt, qui vim de sacris statuendi solis Ecclesiæ ministris eunt attributum, quæ opinio Genevæ primum, Calvino atque Bezâ autoribus, exorta & inde passim disseminata est, hodieque maximam Puritanismi partem in Angliâ constituit. Vid. H. GROTIUS, *de Piet. Ord. Holland.* Futiles tam hi, quam illi, aucupes verborum sunt, effatum Christi *Job. XX. Quibus remisistis peccata &c.* pro fundamento opinionis suæ afferentes. Quo ipso dum Episcopis aut Evangelii ministris Majestatem sacram à Servatore commissam arbitrantur, ad inauditæ interpretationis diverticulum confugiunt. Neque enim, prædicta verba perspicue de Majestate quâdam sacra agere, temere quis dixerit, neque obscure illam innuere duntaxat, certissimo itidem argumento est, quod primis Ecclesiæ temporibus ejusmodi interpretatio non fuerit in usu. Vid. SOZOMENUS, *l. 7. c. 9. & SOCRATES in Hist. Eccles. l. 5. præf. & c. 10.* Non tantum vero hoc modo manifestum est, Episcopis vel aliis Ecclesiæ Presbyteris in sacris Majestatis jura à Servatore non esse attributa, verum etiam ex aliis Scripturæ Sacræ testimoniis eviden-

tissimè probatur. Etenim Majestas circa Sacra consistit partim in potestate ferendarum Legum, quibus adstringantur cives, partim in potestate, eosdem ad obedientiam cogendi, quæ vis utique dominiõ imperiõque aliquõ, adeoque fascibus & gladio instructa esse debet. Talem autem vim Apostolis penitus negatam esse, ex eo servatoris patet: *Reges gentium dominantur vis, & qui autoritatem habent in eos, benefici vocantur, vos autem non sic.* Luc. 22. v. 25. Nonne hisce verbis dominium, quod Reges habent, & quod in coactiva aliqua autoritate situm est, ab Apostolis omnino removetur? Si autem Apostolis Majestas sacra expresse denegata est, quo Jure, quæso, Episcopi vel alii Presbyteri sibi arrogare eam poterunt? Porro constat, si regnum Christi non est de hoc mundo, adeoque non defenditur vi aut armis, ministris ejus in hoc regno nullum imperium ac vim cogendi convenire. At vero ipse Rex noluit defendi vi aut armis *Job. XIX.*, quod Regnum ejus à terrestribus imperiis plane alienum esset. Enormi igitur impudentia & per quam elato spiritu plus appetunt ministri, quam ipse Dominus sibi arrogavit. Certe ipsemet Servator dicit *Job. 20. v. 21.* *Quemadmodum me Pater misit, sic ego mitto vos.* Christus autem non missus fuit, ut exerceret Majestatem aliquam mundanam; quam obrem nec ministris

nistris suis peculiarem quandam circa Majestatem conferre relinquereque potuit, Probari idem posset & ex eo, quod Salvator Cæsari, quæ Cæsaris essent, diserte reddi jusserit, tum autem temporis jus fuerit Cæsari in sacra æque ac profana; Probari posset & ex aliis scripturæ sacræ locis. Verum satis superque sunt probandæ Thesi, quæ hæctenus adduximus, adeoque diutius his immorari non est necessarium.

V.

Id saltem monitu adhuc dignum ducimus, antequam, fractis adversariorum armis, & jure suo principibus asserto, ad illorū circa religionem officium transgrediamur: satis supine statuere nonnullos, Evangelicæ ac reformatæ religionis Principes Ecclesiasticâ Jurisdictionem & vim de sacris statuendi ex merâ conventionem nactos esse, & post Pasfaviensem atq; Westphalicam transactionem duplicem personam, principis nimirum & Episcopi, in suis territoriis hodie sustinere. Cum enim ex antea dictis perspicue appareat, summam circa sacra potestatem Episcopis nequaquam convenire; sed illam, jure proprio principibus ex vi & indole imperii, & quatenus sunt principes, unice competere, non aliam profecto propter restitutum exercitium illius potestatis personam repræsentare poterunt, quam qua de profanis disponunt atque ordinant.

B 3

Po

Potestas, quâ Princeps tam circa sacra quam profana imperat una eademque est, nec propter duplex objectum duplicatur. Non ergo dici potest, respectu hujus unius potestatis personam duplicem principem sustinere; nec rectius forte Episcopalia jura principes Protestantes exercere dixeris, quam si jurisdictionem, ministro tuo mandatam, vel de facto ab ipso usurpatam, cum vindicaveris, ministri jurisdictionem appellare velis, ejusque respectu ministri personam dicaris repræsentare. **STRAUCHIUS** *Dissert. Exot. V. thes. 18.* Nam postquam clarior lux Evangelii refulsit in Imperio, & Evangelicæ Religionis Principes excusserunt fortiter papale jugum, per instrumentum religiosæ pacis non potestas quædam Episcoporum propria in eos devoluta est, sed Jura Sacrorum superioritati Territoriali, æmulæ Supremæ Majestatis, cohærentia, & quorum exercitio tantummodo caruerant, postliminio principibus fuerunt restituta, non quasi ante illa non habuerint, sed ut libere & tranquille, & sine ulteriore turbatione Pontificis ea imposteriorum exercere possent. Probe igitur observandum est, Principes nostros non exinde habere potestatem de sacris statuendi, quod Jura Episcopalia per dicta instrumenta pacis nacti sint, & quod in suis territoriis Episcopi personam repræsentent, sed ex vi ipsa imperii & indole superioritatis territorialis Sacrorum curam ad eos pertinere. Nec

hæc de verbis duntaxat est observatio, sed ad jus rei multum interest, itane, an aliter loquaris. Sponte enim exinde fluit, quod nec Pontificiæ Religionis Statibus, vel ipsi Augustissimo Imperatori Sacrorum cura deneganda sit, si Jure sibi competente, uti, & juribus, ex errore & cœcâ superstitione Pontifici indultis, renunciare velint, ut eleganter ostendit BRUNNEMANNUS *de Jur. Eccles. l. 1. c. 2. §. 27.*

VI.

Sed nondum omni dubio per hæcenus allata exasse satisfactum est; id paulo exactius adhuc trutinandum, an adeo urgentibus nitantur rationibus, qui spretâ Dd. sententia communi, Protestantes Principes potestatem de sacris statuendi, non per vindicationem, sed per conventionem novam, & Leges pacti ex transactione Passaviensi, & Instrumento pacis Osnabrugensis, nactos esse, non dubitant asseverare vid. DN. LYNKER. *Diss. de Super. Sacr. §. 2.* Minus caute hanc ob causam superioritati territoriali sacrorum jura adscribi autumant, quod illa, si in se, & non, prout hodie LL. Imperii, imprimis vero dictis pacificationibus firmata est, consideretur, ad tribuendū jus Sacrorum minime sufficiat. Sed rationem hanc aperte falsam esse, vel tralatitium illud: *cujus est regio, illius etiam est religio, facillime evincit.* Tam divinis LL. quam omnium Gentium moratorum institutis, ut supra proba-

probavimus, sancitum & receptum est, ut is, qui
Majestatem habet in Republ., habeat etiam sacro-
rum curam ac ordinationem. Jam verò superio-
ritas territorialis, etiamsi illam absolute, & nullo
prorsus respectu ad dictas Pacificationes habito
consideres, æmula Supremæ Majestatis est. Dic
igitur quæso rationem mihi, quæ impediatur, quo mi-
nus ex vi ac indole illius nostris Principibus sacro-
rum jura queant tribui? Forsitan hanc mihi dabis,
eum, qui superioritatem territorialem habet, non
plus in territorio posse, quam Imperatorem in Im-
perio; Imperatori vero in Imperio manus circa sa-
cra penitus ligatas esse. Respondeo, qui territorii
superioritate gaudet, habet omnia, quæ Imperator
habet, tam potentia quam actu. Potentia autem
jus sacrorum Cæsari inesse, si renuas, idem est, ac si
Christum Deum esse neges, eò, quod sponte se exi-
naniverit, & divina virtute sua non usus sit in terris.
Instas: Cæsarem omni circa sacra potestate se pe-
nitus abdicasse; quare nec dici queat, illum adhuc
potentiâ habere jus sacrorum. Regero, potestas
circa sacra est pars majestatis, nec à Majestate citra
destructionem ejus commode disjungi potest.
Quamdiu itaque Imperator habebit Majestatem,
habebit etiam sacrorum jura quoad potentiam,
quamvis illorum exercitio se abdicaverit; nec pa-
cta & transactiones obstabunt, quominus illa, ut
pote

pote Majestati nexu indissolubili devincta, etiam
quoad exercitium ad se revocare possit; cum illa
pacta divinis & humanis legibus; imo naturæ ipsius
Majestatis è diametro adversa, Imperio vero perni-
ciosa sint. Sed vereris ultimo, præjudicium prin-
cipibus non exiguum illatum iri, si illis jus Sacro-
rum ex mera territorii superioritate asseras, idque
ex dictis Pacificationibus non accepisse eos, sed re-
cepisse, audeas defendere; cum sequatur ex hac
hypothesi, illis nihil amplius hodie competere,
quam quod antea habuerint, ante dictas Pacifica-
tiones autem aut parum, aut nihil juris circa sacra
principibus competiisse. Meretur laudem hæc
vigilantia tua, ne interesse principum periclitetur;
sed hæc in parte ea tuto supersedere poteris. Prin-
cipes enim ante dictas Pacificationes summam cir-
ca sacra potestatem utique habuerunt, & caruerunt
duntaxat ejus exercitio, nec opus fuisset restitutio-
ne, quam communiter per dictas Pacificationes
factam volunt, ni violentiæ Papales iis exercitium
hujus potestatis adeo reddidissent dubium, ut non
nisi Lege publica in pristinam libertatem vindicari
potuerit. Testatur ipse CONRINGIUS, qui hic in
partes contrarias vocatur, *alleg. c. 6. ad Bull. Innoc.*,
jam pridem ante instrumentum Pacis, & subsequen-
tam Bullam Innocentii, deperdita fuisse, quæcun-
que antehac seu jure s. injuria, circa ea, quæ Evan-
gelicis

C

gelicis

gelicis vi Pacis sunt concessa, Pontifices possederint. Si igitur jam pridem ante Pacem Jura Pontificis in terris Protestantium deperdita fuerunt, qua ratione dici possit, ea demum vi dicti Instrumenti expirasse, & principes ex eo demum tempore sacrorum jura consecutos esse, ingenue fateor, non possum divinari. Testatur porro Doctissimus SCHILTERUS in aureo de libertate Germanæ Ecclesiæ libello. *L. 4. c. 7. §. 6.* jam Ludovici Bavari temporibus Marsilium Patavinum ordines Imperii admonuisse, ut jus reformandi, cujus singuli pro rata territorii omnino essent participes, exercerent libere, & huic monito benignas Principes præbuisse aures, & actu in suis territoriis de Sacris jam ante duo secula disposuisse, elegantissimo WILHELMI Landgraffii Thuringiæ & Marchionis Misniæ exemplo comprobatur, exhibens insimul §. 7. pragmaticam sanctionem, quam dictus WILHELMUS, Anno 1448. diæta cum Statibus Provinciæ celebratâ, de cultu divino & rebus sacris promulgavit; qui ergo dici poterit? Principes Evangelicos, jus sacrorum demum vi Instrumenti pacis Osnabrugensis nactos esse, cum illud jam ante duo secula habuerint & exercuerint. Præterea hoc extra omnem dubitationis aleam est positum, territorialem superioritatem longe ante sæpe dictas Pacificationes Principibus Imperii competiisse. Si instituti ratio per-

mit-

mitteret, seriem historiarum prolixè recensere, perspicue ostendere possemus, quod sub OTTONIBUS Cæsaribus salvo Imperialis Majestatis culmine, ceperit initium, ac instar alluvionis, & latentis incrementi, vires suas indies magis magisque auxerit; imo probare etiam possemus ex Aur. Bull. Tit. XIII., ad quem Capitulatio Leopoldina §. 3., non sine causa, sese refert, Principes Imperii sublimi illa potestate jam CAROLI IV. tempore gavisos fuisse. Sed hoc unico in præsens contenti esse possumus, illam, jam MAXIMILIANO I. Imperante, pleno vigore ac summo fastigio stetisse, & ab ipso Statibus expresse fuisse confirmatam; ex quo tempore Jus superioritatis in Capitulationibus, ac aliis Legibus Imperii per modum complexi curroboratum deprehenditur. Vid. Illustr. Dn. de RHEZ in *Diss. de Jur. Stat. Imp. circa sacr. c. 2. n. 14.* Cum itaque in aprico sit, Status Imperii ante dictas Pacificationes habuisse superioritatem territorialem, neutiquam negari potest, ante illas jus circa sacra etiam iis competiisse. Nam Jus Superioritatis Sacrorum Jura natura sua involvit & complectitur, quippe quod est potestas summa Statibus Imperii in omnes & omnia, quæ sunt de territorio, competens, usu & praxi Imperii stabilita, nisi in quantum Lege publicâ vel pactis derogatû ipsi probari possit. Ex quo apparet, quam verè Majestaticum hoc jus ap-

pellari mereatur, & quod Majestati penitus sit simile, omniaque civilis potestatis jura tribuat, adeo ut contrarium statuens illud probare teneatur. Jam vero civili potestati natura sua competere sacrorum curam ac ordinationem supra *thes. 2.* satis demonstravimus; unde superioritati quoque inesse jus Sacrorum ex præsuppositis necessariò consequitur. Accedunt insuper his rationibus elegantissimi in ipso Instrumento Pacis Osnabrugensis textus §. 30. *Art. V. & § 1. Art. VIII.* quorum verbis qui, ommissa nativâ significatione, prorsus aliam & sensui contextus minime convenientem affingere conatur, in §. 50. *Art. V.* ejusdem Instrumenti graviter impingit. Sed quid diutius in re tam clara morror? cuique sana ratio dictabit, vitiosam prorsus illationem esse: Jus Sacrorum Statibus Imperii propter ambitionem seu potius hierarchiam Pontificis per religiosas Pacificationes pristino vigori restitutum est; Ergo ab eo demum tempore ipsis cœpit competere.

VII.

Altioris est indaginis, an Principes Evangelici intuitu maximæ illius, quam circa sacra habent, potestatis commodè Pontifices in suis territoriis appellari queant? quod genus loquendi multis Dd. familiare deprehendimus, nec nova est ratio, quam fundamenti loco afferunt, qui excolendo Juri Papali

pali Principum his temporibus operam impendunt, jamdudum enim Illustr. DN. RHETIUS in sepe alleg. Diff. de Jur. Stat. Imp. circa sacr. c. 4. § 18. advertit, eatenus Principibus nostris hoc nomen posse tribui, quatenus Jurisdictione Pontificis per §. 48. Art. V. Pacis Westphalicæ in terris Protestantium suspensâ, ea, quæ alias à Pontifice, & nomine Pontificis, exercebantur, hodie ab ipsis & ipsorum nomine in suis peragantur ditionibus. An stabili hæc opinio nitatur fundamento, si inquisiveris, utrum ea, quæ Pontifici post Instrumentum pacis in terris Protestantium negantur, & quorum exercitium penes ipsos hodie est principes, jure antea Papa exercuerit, an verò sibi potius arrogaverit de facto? absque magna ingenii sollicitatione statim dijudicare poteris. Jure Pontifici tantam nullo tempore competiisse potestatem, ex iis, quæ supra in Thesi III. adducta sunt, prorsus manifestum est, nec possunt, ut factum observavimus, Germanæ Nationis Concordata, cum sede Romana an. 1447. celebrata, pro Juris Papalis lapide angulari poni; in ea enim Imperator FRIDERICUS III. & successores ejus excommunicationem Pontificis expavescentes ex cæco errore & fœda superstitione cum Summa Imperii jactura consenserunt. Errorem vero minime jus facere, quis adeo perfrictæ frontis est, ut audeat negare? Præterea negotium, cui

fraus & dolus causam dedit, est ipso Jure nullum, habetur pro infecto & sua sponte corrui. *arg. L. 7. pr. ff. de dol. mal. § l. 16. §. 1. ff. de minor.*; quas autem fraudes non excogitavit curia Romana? ut potentiam suam post Concilium Basileense valde vacillantem per concordata illa restaurarent, *vid. CASP. HEDION. Eccles. Histor. l. 2. c. 21. ap. GOLDAST. in ration. Const. Imp. p. 117.* Quamobrem utique pro nullis, & quasi nunquam extiterint, ea reputanda veniunt. Accedit, quod Hierarchia Pontificis, divinæ ordinationi protinus adversa, nulla transactione potuerit firmari; quæ enim sua natura sunt invalida, nec pacto nec alia ratione corroborari possunt, *arg. L. 15. C. de Pact. § L. 5. C. de Pact. conv.* Nec ea ratio hic stringit, quod quisque juri pro se introducto renunciare possit. *L. 29. C. de Pact.* & hinc Imperatori & ordinibus Imperii omnino fuerit liberum, sacrorum Jura in manus Papæ resignare. Hâc enim ratione eo saltem casu aliquis juvatur, si jus pro se & in sui gratiam duntaxat introductum est *ENENKEL. de Priv. Milit. L. 2. privil. 15. n. 5.* Sacrorum Jura verò non tam in gratiam illorum, qui habent τὸ κύριον in Republica, tam divinis, quam humanis legibus cum potestate civili sunt unita, quam potius in favorem subditorum seu ipsius Reipublicæ, cui nihil magis perniciosum esse, quam si penes alium, quam Principem

pem Sacrorum sit Imperium, funesti tumultus per
tot secula à Papis & eorum Aſſeclis in Imperio Ro-
mano excitati abundè contestantur. Quamobrem
nec ex illa ratione dicta Concordatæ validitatem a-
liquam nancisci poterunt. Cum itaque non Jure,
sed potius de facto & injuria, ea, quæ hodie Ponti-
fici in terris Protestantium negantur, ab illo antea
exercita fuisse, ex hæctenus adductis constet, nec
dici posse, quod nostri Principes in suis territoriis
sacrorum Jura exercentes perſonam Papæ repræ-
sentent, & post. Instr. Pac. Osnabrugensis Jure quo-
dam gaudeant Papali, necessario consequitur. Nam
quod in Papa nunquam extitit, per instrumentum
Pacis ademptum ipsi, & in Principes translatum di-
ci nequit. Et si Jus Papale statuis, vi cujus Princi-
pes, postquam illud per Instr. Pac. in eos fuerit
translatum, sacrorum Jura in suis territoriis exer-
ceant, sequitur ex hac opinione hoc absurdum, in-
justè Pontifici sacrorum regimen in terris Prote-
stantium ereptum esse. Quid enim magis contra-
riatur justitiæ quam jure suo aliquem privare? Ad
hæc verbis & genuino sensui citati §. 48. art. V. Instr.
Pac. Osnabr. vis & injuria infertur, si exinde Jus Pa-
pale nostris principibus satagis asserere. Neque
enim ibi Papæ jus aliquod adimitur, & in Evange-
licos ordines Imperii transfertur, sed Papa ab inju-
sta summæ circa sacra potestatis possessione potius
de-

deicitur, & Jus Diœcesanum ac Jurisdictio Eccle-
siastica hæctenus injuste à Papa & Episcopis posses-
sa pristino vigori Protestantibus Ordinibus restitu-
untur, & quoad Exercitium à territorii superiorita-
te inique admodum avulsa cum ea denuo conglu-
tinantur, quod verba: *intra terminos territorii cu-
jusque Jus Diœcesanum & Jurisdictio Ecclesiastica
secontineat*, satis indicant. Et quid opus est tan-
dem in favorem Principum, & ut eorum accessio-
nes augeantur, invita Juris ratione, Papale quod-
dam Jus effingere? cum omnia, quæ pro effecti-
bus Papalis Juris reputantur, effectus proprie supe-
rioritatis territorialis sint, & vi illius à Principibus
liberè exerceri queant, si nempe in se & remotis
abusibus Papalibus spectentur, quos approbare,
& suos facere à gravitate & magnanimitate nostro-
rum Principum prorsus alienum est. Sane provi-
siones in beneficiis Ecclesiasticis ad nostros Princi-
pes vigore territorialis superioritatis pertinere, nisi
pacta vel capitulationes particulares obstant, o-
mnino affirmandum est; Nam omnis Princeps
est Dominus omnium in suo territorio beneficio-
rum, sive sint Ecclesiastica, sive secularia. Sed ut
Pontificum vestigiis insistere, & eodem modo eo-
demque abusu illas sibi arrogare queant, quo Pon-
tifices ex insatibili ambitione & avaritia circa eas
versati sunt, neutiquam asseverare licet. Iniquum
enim

enim iniusti possessoris factum post recuperatam à
vero Domino possessionem ad amplianda ejus Ju-
ra nihil confert. Nec aliud nobis est Judicium de
confirmatione, quam ipsam, cum pars & effectus
supremæ potestatis sit, SCHILT. *Jur. Can. L. 1. tit. 7.*
à nullo alio, quam Principe omnes sacrorum An-
tistites utique tenentur impetrare. Sed quod eo-
dem modo impetrari debeat, quo à Pontifice an-
tea fuit impetrata, & Principes loco pallii à Papa
redimendi certam summam pecuniæ præter spor-
tulas, à confirmando exsolvendam determinare
queant, pariter asseverari nequit. Si enim hoc
affirmas, immortalis gloriæ, quam meriti sunt opti-
mi religionis Evangelicæ statores, multum detra-
his, & tacite incusas illos, quod gravamina illorum
in omnibus ferè Comitibus, de his & aliis Papalibus
abusibus, proposita non aliunde, quam ex mera
erga Pontificem invidia, & iniqua aviditate lucri
profecta fuerint. Præterea nec Menses Papales ex
Jure Papali Principibus asserere necesse est. Nam
horum reservationem ad Jus superioritatis pertine-
re perspicuè admodum Illustris DN. RHETIUS
in Inst. Jur. Publ. l. 1. c. 16. §. 7. deduxit. Unde Prin-
cipes respectu horum mensium vigore superiorita-
tis territorialis etiam expectantias cum clausula an-
teferri dare posse, minime refragor, si alteri Jus
nondum sit quæsitum, vel salus publica aliaque

D

gra-

gravis causa præposterationem exigat, vid. Illustr.
DN. de JENA *de Ratione Stat. Diss. 18. c. 1. inf.* Imo
nec ANNATAS ex Jure aliquo Papali scaturire, sed Ju-
re REGALIÆ primi anni redditus, una cum relicta pe-
nu & mobilibus Ecclesiæ vacantis, Imperii fisco jam
olim fuisse assignatos Dn. BAIER. *in Diss. de Jur. Re-
gal. c. 3. Sect. 3. thes. 3.* & DN. SCHILT. *de libert. Eccl.
Germ. L. 5. c. 6. §. 3.* eleganter admodum edocue-
runt, nec omiserunt documenta insimul insignia
afferre, ex quibus liquet oppido, alios quoque Prin-
cipes & Comites ex vi Superioritatis territorialis
primi anni redditus ex Sede Ecclesiæ vacante jam
multis ante seculis sibi vindicasse vid. SCHILT. *all.
loc. th. 4.* Sed cum illi Juri Regaliæ antiquo, quoad
hanc partem, Impp. OTTO IV. & FRIDERICUS
II. publicis capitulationibus in perpetuum postea
renunciaverint, vid. SCHILT. *Eccl. Rom. in Ap-
pend. p. 1142.* ac idem ab ordinibus Imperii successu
temporis ad preces Clericorum in suis territoriis
paulatim factum esse, ea, quæ sæpe memoratus
DN. SCHILT. in supra *alleg. th. 4. L. 5. c. 6.* doctis-
sime adduxit, haud obscure innuant; hodie nec
dictum Jus Regaliæ in bonis Ecclesiæ vacantis, nec
Annatas Papæ nostris Principibus vindicari posse,
si verum fateri velis, statuere te oportebit. Nam
Jus Regaliæ in usum revocare nequeunt, cum id,
ut modo dictum est, publicis capitulationibus ab
Impe-

Imperatoribus expresse sit sublatum ; Principes
autem non plus in territorio posse, quam Impera-
torem in Imperio, utique hic erit attendendum.
Annatas vero propterea non possunt vindicare si-
bi, quod si exigent illas, aperte coram toto profi-
terentur orbe, se successisse in vitia Pontificis, tam-
justo ac vehementi zelo olim à majoribus in o-
mnibus fere Comitibus damnata, & lucri odorem ac-
ceptum sibi esse ex re qualibet; Ast quis ex nostris
optimis Principibus Vespasiana talismodi consilia
non detestabitur? Præterea non ex nova & pror-
sus insolitâ verborum Instrumenti Pacis interpreta-
tione Jus Annatarum Principibus accrescit, nec ex
mente ejus obtorto collô per consequentiam di-
stringere permissum est, vid. supra *alleg. §. 50. art. V.*
Instr. Pac. Osnabr. Annatas enim sibi Principes
in suis territoriis expresse reservasse ac stipulatos es-
se nusquam in eo reperitur, quamobrem trita Juris
communis regula locum hic inveniet: Pactionem
nempe obscuram & ambiguum adversus eum in-
terpretandam esse, in cujus potestate fuit legem
apertius conscribi, *L. 39. ff. de Pact.* Denique nec
potestas disponendi de Capitulis in suis territoriis
extantibus à nostris Principibus ex Jure quodam
Papali arcessenda est, sed ex indole territorialis su-
perioritatis, pariter ut cuncta reliqua, quæ hætenus
enumeravimus, promanat, quippe cujus liberum



tam in Ecclesiasticis quam profanis exercitium per
supra *alleg. §. 1. art. VIII. Instr. Pac.* expresse ipsis resti-
tutum est. Hinc minime repugno, quod Princi-
pes Evangelici de suis Capitulis & eorum Juribus
vigore superioritatis libere disponere possint, nisi
hac in parte Juri Superioritatis Lege publica vel pa-
ctis derogatum esse, Capitula probare possint. Un-
de neutiquam illis assentiri possumus, qui, Principes
contra fundamentalia Capituli statuta dispensare
posse, statuere non erubescunt, cum in §. 16. *art. V.
Instr. Pac.* expressis verbis in id conventum sit,
quod prisca Capitulorum Statuta ac consuetudines
salva ac illibata manere debeant. Nec Scrupulum
moveret quæstio à secus statuentibus allata, quo Ju-
re uxores suas velint defendere Canonici, si prin-
cipibus supra statutis dispensandi nullum Jus com-
petere contendant? Quis enim, non advertit
statim, Canonicos non ex dispensatione Prin-
cipis, sed ex permissione ipsius Religionis ab erro-
neis & superstitiosis traditionibus purificatæ jure
connubii gaudere? Similiter & illi sententiæ sub-
scribere haud possumus, quod Principes in Capi-
tulis, quibus lege publica vel pactis peculiaribus
prospectum est, ut bona eorum in eodem statu
maneant *vid. Art. X. XI XII. & XIII. J. P. O.* præben-
das aliquas extinguere & convertere in alias pias
causas possint. Quem enim latet, quod nec à Prin-
cipe

cipe jus semel quæsitum de facto alicui auferri
queat? & quomodo in præjudicium Capituli præ-
bendæ quædam illius ad alias pias causas destinari
poterunt, cum largiens de alieno liberalis dici ne-
quaquam mereatur? *L. 54. §. 1. ff. de Furt.* Sed no-
stri instituti non est, his & similibus diutius inhæ-
rere, quamobrem, misso hoc argumento, ad alia
progredimur.

VIII.

Pendet quoque ex præmissis hujus quæstionis
perquam nobilis Decisio: an Principes Imperii
suarum Ecclesiarum Capita possint perhiberi? quod
nomen Henricum IIX. Regem Britannæ superio-
ri seculo sibi arrogasse, memoriæ proditum vide-
mus. Hoc ipsum dum in præsentia affirmamus, si
modo res ipsa recte intelligatur, paucos procul du-
bio dissentientes habebimus. Videlicet non eo
sensu caput Ecclesiæ Principem nuncupamus, quo
Christum Apostolus caput Ecclesiæ in *Epist. ad
Eph. c. 5. v. 23.* prædicat. Sed cum singularum
Rerum publicarum sacra regimen aliquod visibile
requirant, idque nemini, quam Principi, compe-
tere, satis, opinor, hætenus demonstratum sit, quis
quæso vereretur, summam hanc circa sacra pote-
statem nomine capitis Ecclesiæ efferre? Nec efficit,
ab hac sententia ut desistamus, illa Pontificiorum,
frivola objectio, Principem, cum membrum Ec-
clesiæ



clesiæ sit, capitis titulum non posse sibi arrogare, Si enim principem, quatenus de grege ovium est, consideres, ambabus manibus id largimur; si vero quæ moralem & Rempublicam præsentantem spectes, capitis titulum utique merebitur. Longiores hoc loco esse nolumus, quis enim est, cui non perspicua sint illa ab aliis jamdudum observata? potius in transitu paucissimis scrutabimur, an APENNAGIATI Principes in territoriis loco Apennagii ipsis assignatis jure sacrorum in universum gaudeant? Merito cum communi Dd. scholâ censemus id negandum. Nam APENNAGIATI Principes minime Status exercitio tales sunt, essentiali quippe constitutivo statuum imperii, quod in Jure sessionis & suffragii comitalis unice consistit, ac consecutivo necessario, superioritate territoriali prorsus destituti, imo præterea non tam ipsum territorium, quam plenus ejus ususfructus atque utilitas ad eos pertinet. *vid. Rec. Imp. de An. 1548. §. Biewohl auch in der Regierungs-Handlung.* Fit tamen nonnunquam, ut Apennagiati jus sacrorum, si non in universum, tamen quoad actus eximiores quosdam per pacta & conniventiam primogeniti simul concessum teneant, imo insuper iisdem, quamlibet hoc jure destitutis, ratione propriæ conscientiæ liberum religionis exercitium, sine extensione ad subditos, haud denegari poterit. Vid. DN. LYNK.

Diss.

Diss. de Super. Sacr. tb. 4. Coeterum an DIRECTOR
vel DUX Circuli der Creyskayschreibende Fürste
oder Creysoberste (quorum officia tanquam quali-
tates compatibles in uno saepe subiecto conjun-
guntur, vid. *R. J. de Anno 1555. §. 57.*) in circulis,
quibus sunt praepositi etiam circa sacra valeant dis-
ponere? prorsus supervacua est disquisitio. Ex
ipsa enim horum officiorum indole sine molestia
dignosci potest, nequam Sacrorum jura ad eos
pertinere, cum minime per Circularis Directorii
collationem vel Praefecturam militarem ea trans-
ferantur, quae specialiter adhærent Superioritati
territoriali. Nec aliud dicendum est de iis, ad quos
in certo quodam territorio Protectio simplex, seu
nudum jus clientelare spectat, quoniam & hoc
obsequiosam saltem reverentiam, tantamque nul-
latenus subjectionem, quantam subditus præstare
cogitur, importat; quamobrem nec superioritatem
territorialem, hujusque partem alteram Sacrorum
curam ac ordinationem, Protector ejusmodi pote-
rit prætere. *Conf. GROTIUS de Jur. B. & P. L. 1. c. 3.
§. 21. STRUIV. S. F. c. 11. a. 10. n. 9.*

IX.

Porro de Domino Pignoratitio disquiri so-
let: Num ille in Provincia, oppignorata sibi, sum-
ma circa sacra autoritate polleat? Parum abest,
quin penitus in partes celeberrimi DOMINI LYN-
KERI

KERI transeamus, qui in *Diss. de Super. Sac. §. 6.*
affirmativam rationibus admodum prægnantibus
defendit. Neutiquam enim inficiari possumus,
rem pignore affectam cum omni causa, & qualis
penes oppignorantem fuit, in creditorem regula-
riter tranire; unde utriusque etiam jurisdictionis
tam Ecclesiasticæ, quam secularis commodum &
exercitium, tanquam fructus morales, Domino pi-
gnoratitio acquiri, & consequenter reformandi fa-
cultatem, donec ad pristinum Dominum regio,
pignoris nexu soluta, revertatur, ipsi pariter com-
petere, nisi aliud speciatim in conventionem cau-
tum sit, omnino videtur concludendum. Ast
cum is, qui cum pacto antichretico rei oppigno-
ratæ possessionem nactus est, sic ea uti, ac frui de-
beat, ut res salva Domino servetur, & haud dete-
rior reddatur proprietatis causa *arg. L. 13. §. 4. ff. de
Usufruct.* Ex reformatione autem, si illa à Domi-
no pignoratitio instituat, totius provinciæ de-
vastatio haud vane metuenda sit, cum illa consci-
entias subditorum tangat, eosque facile eò adigat,
ut in alias regiones migrent; imo insuper per an-
tichrisin regulariter nihil aliud, quam quod usura-
rum loco esse possit, Creditori soleat concedi; an,
his attentis, subsistere queat hæc sententia, aliis re-
linquere decidendum malo, quam ipse definire.
Cæterum non est, quod moneamus Civitates libe-
ras

ras Imperiales non minus quam Principes Imperii
summam circa sacra habere potestatem, *vid. Rec.
Imp. de An. 1555. §.* Nachdem aber vielen Frey- und
Reichs. Städten/te. Nam & iis in suis districtibus
plena Superioritas territorialis competit, *vid. Inst.
Pac. Monast. art. VIII. 4.* & pari Jure cum cæteris
statibus Imperii, cum primis voto decisivo in Co-
mitiis, aliisque privilegiis fruuntur. Præterea à
potestate circa sacra nec Nobiles Imperii immedi-
ati sunt arcendi, quamvis nec Status Imperii sint,
nec territorii superioritate gaudeant. *vid. Illustr.
DN. RHETIUS Diss. de Jur. Stat. Imp. circ. sac. c. 2. §.
16. & seqq.* Per Instrumentum enim Pacis Osna-
bruggensis, *allegat art. V. §. 28.*, & iis quoque Jus
sacrorum specialiter indultum est, & quoad libe-
rum illius exercitium cum Statibus Imperii conve-
niunt, ab iis verò differunt quoad ejusdem acquisi-
tionem. *Vid. DN. LYNK. in d. Diss. de Sup. Sacr.
thes. 7.*

X.

Verum latius justo hætenus evagati sumus;
Propius ad rem ipsam nunc accedendum, & quæ
sit Principis circa sacra potestas ac autoritas,
demonstrandum est. Hic autem quidam statim
in limine nobis se objiciunt, qui ita de libertate di-
vini cultus differunt, quasi illa nullius hominis Im-
perio subjecta sit, & arbitrio cujusvis penitus debeat

E

relin-



relinqui. Quales sententiæ non tantum perquam
multis nostri ævi, verum etiam primævæ Ecclesiæ,
optimis Magistris exciderunt. Vid. LACTANTIUS
L. V. c. 19. Præcipua ratio, qua moventur, illa
esse videtur, quod Religio quam maxime depen-
deat ab intellectu, ille vero prorsus nullum audiat
imperium. Ajunt nihil legibus adstringi posse,
quam quod in voluntate hominum est posi-
tum. Religionem vero, cum scientia atque cre-
dulitate constet, non esse actionem voluntatis, sed
intellectus, cujus actiones, cum ex se nequaquam
liber sit, præmiis & poenis definiri nequeant; unde
nec religionem civili potestati subjici, nec leges de
ea ferri posse, ulterius concludunt. Ast quan-
quam hæc primo intuitu admodum speciosa vi-
deantur, nihil tamen subesse firmi, ratione in con-
siliis adhibita, facile deprehendes. Fatendum
equividem omnino est, religionem ex parte opus in-
tellectus esse. Nihil enim colimus, quam quod
colendum esse, intellectu assequimur. Sicut autem
non est in hominis arbitrio, intellectu aliquid asse-
qui, aut non assequi, ita nec ullus mortalium de
DEO & divini cultus ratione credere aliquid pro-
lubitu, vel non credere potest; unde porro nec per
leges alicui, ut hoc vel illud credat, injungi posse,
nec religionem ullum audire imperium, sponte ex
præsuppositis fluere videtur. Verum enim vero,
quem-

quemadmodum alias creberrime intellectus errat, tantum, quod nolueris operam dare, ut ab errore & ignorantia eximaris, vel ob aliena negotia, vel propter ambitionem, aut avaritiam, aut aliis denique de causis, adeoque hactenus error ac ignorantia poenam commerentur; ad eundem modum multi errores circa divinum cultum merito voluntarii dicendi sunt, quod nimirum descendant duntaxat ex non adhibito, recte ad veritatem perveniendi, studio; Imo præterea utique in arbitrio humano est, suum, quem quis concepit de colendo Deo, sensum vel tegere vel aperte profiteri, adeoque eatenus cultus divinus pro actu voluntatis omnino reputandus venit. Ut igitur verum est, religionem, in quantum opus intellectus est, imperio non posse subjici, ita in quantum opus est voluntatis, omnino legibus vinciri potest. Est autem potissima religionis pars prorsus ejusmodi, si non omnis; Imo in sese omnis Religio talis est. Ideoque DEUS Ter-Optimus ut fidem in Christum præmiis, ita *ἀπὸ τῆς ἐλπίδος* æterno igne afficiet. Et tamen *nihil ardet in inferno, nisi propria voluntas*, scite S. BERNHARDUS dixit, *in serm. 46. de mod. bene viv. vid. CONRING. in sep. alleg. Diss. §. 24.*

XI.

Quin itaque illi, penes quem summa rerum stat in Republica, circa divinum cultum legibus

E 2

ac

ac Imperio uti liceat, nihil dubitandum est. Ec-
quæ autem est potestas illa, quæ circa sacra ipsi
competit, & quibus ea finibus circumscribitur?
Quamquam nec mediocriter sapiens ignorare pos-
sit, quantum distent imperium circa sacra, & fun-
ctio, cui imperatur; cum tamen sint, qui rebus
etiam clarissimis nebulas soleant offundere, pro
meliori sequentium intellectu, & ne à pingvibus
ingeniis, diversa temere confundantur, funda-
menti loco præfundum erit, ratione officii, quod
circa sacra versantibus incumbit, Potestatem circa
sacra in duas species abire, quarum una Interna,
altera vero Externa consuevit appellari. Illa exer-
cetur merè ecclesiastice, prædicando verbum Dei,
remittendo ac retinendo peccata, nec non dispen-
sando atque administrando Sacramenta. Hæc
vero equidem circa Ecclesiastica, non tamen ec-
clesiasticè, sed modo quâdam civili exercetur, &
absolvitur potissimum Religionis in Rempubli-
cam introductione, ejusdem reformatione atque
ejectione, LL. Ecclesiasticarum latione, hæretico-
rum coercitione, ceremoniarum dispositione, fe-
storum indiçtionem, personarum Ecclesiasticarum
constitutione ac earundem remotione, imo tan-
dem defensione Ecclesiæ, administratione bono-
rum Ecclesiasticorum, convocatione conciliorum
& rebus ejusmodi aliis, quibus Ecclesiæ status cor-
rigi-

rigitur ac retinetur. Quod ad priorem atinet, ea
nere ministerialis est, & per ministros verbi atque
personas ecclesiasticas expeditur, juxta præscriptū
ejus, qui contulit & commisit, nec in cogendo, sed
saltem in dirigendo consistit. Posterior vero vim,
quandam ἀναγκαστικὴν comitem atque sociam
habet, qua pro re nata in immorigeros atque re-
fractarios animadverti potest, & ad imperium ci-
vilis potestatis spectat, cum perpetua tamen refle-
xione ad scripturam sacram & voluntatem DEI.
ZIEGL. *de Jur. Maj. L. 1. c. 13. §. 14. & seqq.* Bre-
viter, Potestas externa est imperium circa sacra,
Interna vero est functio Ecclesiastica, cui impera-
tur. Quæ duo ut in una persona simul consistant,
juri naturæ & gentium moribus e quidem haud ad-
versatur; Sed jure positivo tam divino quam hu-
mano conjunctio talismodi prorsus est illicita, cui
suffragatur validissima ratio, quod alios plane mo-
res postulet officium Regis, alios officium Pastoris,
quale in Evangelio describitur, ut vel ex eo satis ap-
pareat, non posse commode & pro decoro, imo
nec sine desultoriâ quâdam levitate, utrumque ab
uno homine sustineri. Vid. HUGO GROTIUS, *sep.*
alleg. Tract. L. 1. c. 2. §. 6. Facile itaque intellectu e-
rit, Potestatem Ecclesiasticam externam Principi,
vel alii summam potestatem in Republica habenti,
non ideo competere, ut sacrorum præses sit, sed ut

sacrorum Præsides in officio contineat, nec potestatem illam Pontificalem atqve Sacerdotalem esse, quæ in executione officiorum Sacerdotalium consistat, sed esse Imperatoriam, quæ Sacerdotes regit, ut suum faciant officium, quæqve externam disciplinam in Ecclesia tueretur. Et hinc haud incongruè eam Potestatem Architectonicam dixeris. Sicuti enim Architecti non est, operi manum ad-movere, sed secundum rectam rationem unicuique, quæ facienda sunt, præscribere, quo facto ad operarios pertinet, recte imperata recte itidem exequi. Vid. ARISTOT. *1. moral. c. ult.* Sic Principis circa sacra imperantis non est, imperata facere, sed imperando facere, ut fiant. Cæterum, cum & Imperium & munus Pastorale, discreta licet, in eo tamen collineent, quod, quæ unica pastorum cura est, ea summarum potestatum cura sit præcipua, ut scilicet divina recte ordinentur; Mirum tibi videri non debet, si summis Potestatibus ob communitatem materiæ, circa quam versantur, nomen alterius functionis proprium nonnunquam attribuitur, quemadmodum superioribus seculis sæpius fuisse factum, multis exemplis demonstrat GROTIUS, *cit. loc. §. 7.*

XII.

Cognita hac ratione natura & qualitate potestatis, quæ Principi ex vi & indole imperii circa sacra

e-
s-
L
es
m
n-
is.
d-
ui-
ad
ex-
ci-
re,
n
m
n-
ci-
n-
ob
r,
n-
ous
de-

te-
sa-
cra

cra competit, ad partes ejusdem speciales nunc ve-
niendum est, quæ tam latè propemodum, quam
integra natura Majestatis, patent; sed nos potiora
duntaxat decerpemus. Patebit ex iis, quæ modo
dicta sunt, objectum hujus potestatis triplex esse,
illamque partim circa Religionem in se spectatam,
partim circa Personas sacris ministrantes, partim
circa Bona Ecclesiastica versari. Ex tribus hisce
primo saltem in præsens omnem operam addixi-
mus, reliqua duo alio tempore, si Deus vitam vi-
resque concesserit, plena manu executuri. Ne
peccemus in Regulas Disputantium ante o-
mnia definitio Potestatis, qua Princeps circa
Religionem gaudet, subministranda erit.
Definimus illam generatim sequenti modo:
quod sit jus ex vi & indole imperii Principi,
Majestatem, vel Superioritatem territorialem,
habenti, competens, de Religione, & quæ
huic accidunt, libere disponendi, nisi verbo DEI
vel pactis Imperii fundamentalibus prohibeatur.
Per Jus hic facultatem moralem intelligi, quæ sua
natura Imperio inest, ex hæctenus dictis notius e-
rit, quam ut uberi explanatione indigeat. Cum
autem dicta facultas de cultu divino libere dispo-
nendi verbum DEI pro norma semper habere de-
beat, idque velut lucem ducemque sequi teneatur,
imo præterea ex pactis quoque fundamentalibus
Impe.

Imperii nonnunquam patiatur restrictionem, ut
exempla passim obvia testantur, vid. *præ cæt. §. 1.*
Art. VII. J. P. O. merito limitatio, nisi verbo *DEI*
vel pactis fundamentalibus prohibeatur, positæ defi-
nitioni adjicienda venit. Coeterum quoniam om-
nem imperandi actum præcedit aliquod judici-
um, & quævis res accuratâ mentis trutinâ semper
examinari debet, antequâ voluntati agenda com-
mittatur; Hic quoque, priusquam actus Potesta-
tis circa Religionem insigniores, & partes ejus po-
testativas, penitus inspiciamus, de summo in Re-
publ. circa Religionem judicio, statim in limine
nonnulla præmonenda erunt. Judicium circa
Religionem, in communi, est veræ religionis, &
cultus divini designatio, quam quisque hominum
ex intellectu recto & libero depromit, qui, ex Scri-
ptura sacra & libris Symbolicis informatus, obje-
ctum scil. religionem ut veram agnoscit & judicat.
In singularibus vero, est definitio illius, quod in-
quôvis Religionis negotio dubium ambiguumq;
videtur exempli causa; Sacram Synaxin sub utrâ-
que specie dandam & sumendam esse, bonis operi-
bus non mereri cœlum, & quæ sunt ejus generis si-
milia. Judicium hoc duplex est vel Publicum vel
privatum, Posterius discretionis est, & singulis
Christianis competit: Prius vero est imperativum
seu definitivum cum imperio temporali, de quô
ultimo

vel doctrinale seu directivum. Non de posteriori, sed
de priori in præsens nobis laborandum. Sane cum
summum imperium in sacris non minus, quam
profanis apud eum sit, cui Deus civitatis clavum, seu
ut cum TACITO loquar, summum rerum arbitrium
concessit, rationis est, ut eidem quoque summum ju-
dicium tribuatur, quod imperium actu & tem-
pore præcedit; id enim, quod rectum piunque
judicavit, demum imperat, & sine notione im-
perium non esse potest. Competit vero ipsi ju-
dicium non absolutum, seu authenticum, quod
solum DEI est, quatenus credenda & facienda in
suo verbo revelavit, sed restrictum & summum
in ordine ad subditos, eodem plane modo, quo
summum imperium in rebus civilibus, cui supe-
rius divinum nihil quicquam detrahit. Verum
hoc esse, quod diximus, vel ex eo patet, quod ne-
mo in totâ Republicâ reperitur, cujus superiori
judiciô Leges ac sententiæ principum retractari ac
rescindi possint: Nam neque ordo civilis, neque
sana ratio patitur, ut, cum sacrorum ordinatio & ne-
gotium religionis, tam in complexu suo universali,
quam singulis circumstantiis, certam quandam
determinationem, eamque in quavis Rep. in or-
dine ad homines inter se, supremam, sicut aliæ ci-
viles res, requirant, ista determinatio & judicium,
subditis magis, quorum conditio in obsequiô con-
sistit,

F

sistit,

sistit, quam imperantibus competat, quibus tota
cura Reip. incumbit. Vid. GROTIUM, *in saepe alleg.*
Tract. c. 5. §. 3. Præterea nec parum roboris huic
sententiæ ulterius accedit, si ad antiquiora tem-
pora oculos reflectimus, ubi summum circa Reli-
gionem iudicium penes solos Reges ac Imperato-
res extitisse, aperte deprehendimus; Siquidem
Synodi & Concilia Oecumenica testes huius rei
sunt locupletissimi, in quibus & præfederunt se-
culares principes, & suâ auctoritate ac iudicio,
damnatis hæresibus, de vera religione deciderunt,
ut multis probavit BRUNNEM, *de Jur. Eccles. c. 2. §. 21.*
& seqq. Quæ ab aliis afferuntur in contrarium,
nihili omnino æstimanda sunt. Nam qui ideo om-
ne iudicium Principi circa religionem negant,
quod labi possit & errare, non vident eundem hæc
ratione ab omnibus civilibus negotiis arceri. Quo-
ties in iure dicundo, in consiliis capiendis, in bel-
lo & pace, in fœderibus, in legibus ferendis gra-
vissime non offenditur? quæ tamen omnia sunt
in iure Principum. Quare non pugnant invicem,
labi posse & iudicare, nisi omnia iudicia de hu-
manis etiam rebus velis tollere: Obtusius enim est
rationis acumen, quam ut semper in veritatem,
quæ in puteo delitescit, penetret; lorum & per-
tica, quibus illam inde extrahimus, iudicium
est, quod à re quærenda ideo deterrere si velimus,
quasi

quasi labile & incertum sit, veritas ipsa nunquam
invenietur. Similiter eadem fere responsione di-
mitti possunt, qui eò obtentu à judicio circa re-
ligionem principem excludunt, quod minus peri-
tus sit rerum, quæ à Theologis disceptari solent.
Nam confundunt aptitudinem judicandi cum
jure judicii publici seu imperativi, quæ duo tamen
inter se totò cœlo differunt. Nec opus est præ-
terea in hoc summo circa Religionem judicio, ut
Princeps omnibus iis exacte sit instructus, quæ ex
Metaphysicis, Historicis, Grammaticis, aliisque
subtiliter Theologi disputant. Vid. ZIEGL. *de*
Jur. Maj. L. 1. c. 14. § 9. Sufficit si ea intelligat, quæ
ipsum corpus religionis absolvunt, quæque ad
salutem speratu, creditu, & factu maximè sunt ne-
cessaria, vel quæ quidem necessaria absolutè non
sunt, magnum tamen in Ecclesiâ momentum ha-
bent. Quæ ipsa cum perspicuè satis Prophetis
& Apostolicis scriptis comprehensa sint, non dee-
rit Principi in his, quæ scire summam potestatem
expedit, quæque scire satis est, auxilium divinum,
ut non tantum per prævenientem gratiam in ve-
rum Scripturæ & eorum, quæ scire interest, intel-
lectum penetrare, sed etiam per internum Spiritus
Sancti testimonium divinâ & infallibili fide de-
conceptu, menti divinæ conformi, certus esse pos-
sit; præsertim cum tot animæ deinceps juxta hunc

Principis conceptum docendæ sint, & Deus ipse
Imperia ad veræ religionis tutelam ordinaverit.
His ergo subsidiis divinis fretus, quid erit tandem,
de quo Princeps non feliciter judicare possit? Fac
tamen inopinum aliquid emergere, in quo hæreat,
tum tempore utatur & consiliis imprimis ministro-
rum verbi. Horum enim informatio in dubio ad-
mitti debet, ita tamen, ut Scriptura Sacra semper
Principi sit instar Lydii cujusdam lapidis, ad quem
veritas cujusvis sententiæ probetur. BRUNNEM.
Jur. Eccles. c. 2. §. 18. Et cum postremò summa
Religionis Christianæ sit, eum imitari, quem colim-
us, docente AUGUSTINO, tum demum summum
Principis circa religionem judicium ad summum
perveniet, si vitam suam quantum fieri potest, ad
Christi vitam conformabit, & pietatem sectabitur,
quæ ad omnia utilis est, atque hujus & futuræ vitæ
promissionem habet. Quid juvat enim imperantē
scientia divinarum ac humanarum rerum, quid re-
ctum in sacris judicium, si hæc regina ab actionibus
absit, & simulatâ sanctitate religio, magis ex status
ratione, quam totò animò & corde, conservetur? Te-
nendus tamen & in ipsa pietate modus est, ne ea
degeneret in superstitionem, & sedulo principi ca-
vendum, ne profunde nimis judicium in rerum
divinarum abyssum intromittat. Nam utique
verissimum est illud TACITI: *Sanctius ac reveren-*
tius

tius esse, de DEORUM actis credere, quam
scire.

XIII.

Ipsos autem Actus summæ circa Religionem
Potestatis nunc aliquantò plenius pertractaturis
primum ac præcipuum *jus Reformandi* se se offert,
quod facultatem infert religionem in territoriò
mutandi, atque introducendi talem, qualem ipse
Princeps amplectitur. Cum enim stabilimentum
doctrinæ sacrae ad Principem pertineat, non pote-
rit ei mutatio Religionis denegari, utpote quam
frustra suscipere non præsumitur. Nam licet cum CI-
CERONE *L. 2. de Divin.* diffitendum haud sit,
Sapientis esse majorum instituta tueri, sacris cære-
moniisque tuendis: cum religionis immutatio tur-
barum sæpe, si non semper, fœcunda mater existat.
Tamen Reip. turbæ adeo Principi neutiquam vi-
tandæ sunt, ut si prisca atque recepta sacra aliquid
vitii contraxerint, jus reformandi sibi competens
omittat; neque enim tranquillitas unica tanti est,
quæ omnia mala ex depravatâ religione oriunda
compensare possit, ut bene monet CONRINGIUS
de Autorit. & off. civ. maj. circ. Sacr. thes. 77. Cæ-
terum in hõc capite de Jure Reformandi primo o-
mnium ad quæstionem in politica prudentiâ haud
postremam perducimur: An ex usu sit atque se-
curitate imperantis, diversas in Republica religio-

nes libere subditis permittere? Neminem notissima
Regum Ægyptiorum consilia latebunt, qui variam
ac miscellam Religionem induxerunt olim stabi-
liendo scepro: difficilius enim in ipsum Regem
conspiraturos subditos arbitrabantur, quib9 inter se
ipsum male conveniret. Vid. DIODOR. SICUL. / 2.
Similiter nec ratione videtur carere institutum,
quod Cato in sua familiâ spectavit, atque dedit ef-
fectui: αἰεὶ τινα εἰσὶν ἔχειν τῆς δόξης καὶ δια-
φορὰν πρὸς ἀλλήλους, ὑπονοῶν τὴν ὁμόνοιαν καὶ
δεδοικῶς; PLUTARCHUS in *Caton.* cur non
Princeps idem faciat in Republica? ubi *Societas*
lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi
invicem obstarent, hoc ipso continetur. SENECA *Ep.*
97. Verum quanquam hoc in levibus disidiis
non reprobemus, in religione tamen minime cen-
semus admittendum, quippe qua divisa, nesciunt
subditi odiorum modum, sed perpetuis agitantur
turbis, in quibus quod, quæso, Principi præsidium
esse potest? Incidit concordia vinculum varietas
Religionis, ex quo partes & factiones subori-
untur in imperiò, *quæ fuerunt semper eruntque*
pluribus populis magis exitio, quam bella externa,
quam fames morbide, quæque alia in Deum iras ve-
lut ultima malorum vertunt, ut graviter disserit LI-
VIUS L. 4. *Hist. Rom. c. 9.* Sane scisis religione a-
nimis urgetur studiis partium continuo hinc inde

Prin-

Princeps, & inter sacrum quasi saxumque
stat. Si medium teneat, omnibus suspectus
ac nulli acceptus; si vero in partes transibit, alte-
ram hostem certissime habiturus erit. Fac vero ad
securitatem Dominantis esse, disidentes in Reli-
gione subditos habere, tamen ad Reipublicæ com-
modum profecto non est, quæ turbis intestinis
marcescit atque diffluit. In comitiis, in senatu, in
iudiciis, in exercitu de civilibus rebus vix unquam
bene consentiunt diversa sacra sequentes: exagitant
se invicem, contemnunt, proscindunt; unde diffi-
dentia, irritatio animorum, ac denique odium, ne-
bulæ illæ & nubes, quæ bonis consiliis & publicæ
rei officiunt, ad privatam cujusque factionis inten-
tionem atque utilitatem omni operâ impensâ.
Hanc vero sui securitatem cum tantò communis
boni dispendio conjunctâ exoptare, Tyranni non
legitimi ac boni Principis nota est, inquit HENRI-
CUS HENNIGES *d. Summ. Imper. circ. sac. pot.*,
quippe qui longe honestiori modo sibi potest pro-
spicere. Præterea nec DEUM quisquam Princi-
pum sincere ac toto corde diligere videtur, qui di-
versas simul religiones fovet, *vid. PETRUS GRE-
GOR. d. Rep. L. 8. c. 2. n. 15.* & insuper religio effe-
ctui ac fine suo in republica destituitur, ubi perpe-
tua de Deo & rebus divinis dissidia agitantur *vid.*
ZIEGL. *d. Jur. Maj. p. 269.* Eandem enim de DEO ha-
bere

bere sententiam, nihilque vita & institutis inter se
discrepare, pulcherimam unicè in animis homi-
num excitat concordiam atque beatitudinem.
conciliat civilem. JOSEPH. *libr. contr. Appion.* Da-
bit ergo operam, quantum fieri potest, quisquis im-
perium capesit, ut unam inter subditos religionem
sustineat; quo non tantum eos beatos in civili vi-
ta, sed etiam æternæ beatitudinis faciat consortes:
Ad utramque enim beatitatem suo modo concur-
rit, aut concurrere debet potestas imperantis.

XIV.

Non inaniter, sed consulto, diximus; *quantum
fieri possit*, Principi eo committendum esse, ut u-
nam inter subditos Religionem sustineat. Nam
ita equidem omni Reipublicæ optandum est, & to-
tis viribus eo laborandum, *ut unus sit Dominus una
fides, unum Baptisma ad unitatem spiritus in pacis
vinculo servandam.* Verum cum incidant non-
nunquam tam conclamata tempora, ut excitato
semel de Religione incendio, ingens vel Orthodo-
xæ Ecclesiæ, vel Reipublicæ periculum timendum
fit; Hoc rerum statu vela paulisper vento subtra-
henda erunt, cum rectà non liceat decurrere, &
obliquato latere cedendum tempestati, ne publica
navis incumbentibus procellis graviter quassata,
penitus dissiliat. Nam quid ferat præsens ægro-
tantis Reipublicæ conditio, non quid simpliciter

ad

ad publicam tranquillitatem sit utile, spectandum est, ni malis venenum pro amuleto procurare, pestem pro valetudine. Est enim ea hominis natura & indoles, ut duci magis ad sanitatem velit, quam capillitio trahi, præsertim si vires non desint, quibus errorem valeat defendere. Si itaque temporum calamitate in illas necessitates Princeps irruat, ut in Religione diversum sentientibus ad civilem concordiam stabiliendam aut indulgendum sit quodammodo, aut sæviendum ad utriusque partis interneccionem usque; quis non magis illius Principis sapientiam laudaverit, qui sua autoritate interposita libertatem quandam conscientis laxat, quas deinde sensim ad officium reducturus est, ubi prima contumacia deferbuit, quam severitatem ejus, qui nimio rigore easdem obstinatioris & Rempublicam indies turbatiorem reddit? vid. HENNIGES. *cit. loc. p. 172.* Etsi enim Principibus omnibus Christianis ex officio pari cura & studio cõniti incumbat, ut ipsorum subditi veram fidem amplectantur, ac ut præceptis divinis pareant, & in hoc non magis, quam in illud, animum intendant: Si tamen in Republica vitium aliquod sine excidio status publici non potest extirpari, certè tolerare istud, quam illi excidio cooperari, erit satius, vid. ZIEGL. *de Jurib. Maj. L. 1. c. 14. §. 5.* Et hoc consilio Gallia adversus Hugonottos suos, & Anglia in

G

Ponti-

Pontificios usa est, quæ regna, eodem Religionis turbine diu admodum rotata, non prius quietem, in rebus civilibus, quam pace in sacris confectâ, invenerunt. vid. THUANUS *Histor. Lib. 16.* & SLEIDANUS *de stat. relig. l. 21.* Nec potuit prius Imperio Romano post diuturnum illud atque sanguinolentum Pontificiorum cum Protestantibus bellum, quo ultra XXX. annos Germania conflagraverat, diu exoptata conciliari quies, donec tandem, utraque parte de Jure suo non nihil remittente, integra religionis controversia transacta esset, quæ tot annis tantas turbas dederat, & cujus vel mutandæ vel conservandæ gratia tantæ ubivis illatæ fuerant calamitates.

XV.

Certe saluberrimum Germaniæ Palladium Instrumentum Pacis Osnabruggensis merito appellandum est, quippe quo patriæ undique sauciæ publica restituta quies, & Pax Religiosa Edicto Restitutorio Cæsaris FERDINANDI II. aliisque Pontificiorum machinis valde labefacta, non solum stabilita denuo, *vid. §. 1. Art. V. J. P. O.* sed aucta, insuper egregiis accessionibus. Quamquam autem Jus Reformandi, quod alias pleno jure cuique Principi in suo territorio ex vi ac indole civilis potestatis competit, per dictum Instrumentum Pacis temperamentis ac limitationibus haud exiguis videam

deamus imminutum; Hoc tamen non impedit,
quo minus affirmemus, quemlibet Principem Im-
perii secularem, vel Territorialem Dominum,
adhuc hodie religionem unam ex tribus illis in Im-
periô probatis, Augustanam scilicet, vel Catholi-
cam, vel Reformatam, jure territorii in sua ditione
introducere, vel introductam iterum mutare posse
vid. J.P.O. art. 7. in pr. & Pacif. Relig. de An. 1555.
§. Und damit solcher Friede/xc. Denn die Freyheit
in Religions- Sachen ist der Stände höchstes Regale,
ut dixit Landgravius MAURITIUS apud HORT-
LEDERUM teste CRAN. *in proem. de Pac. Relig.* Co-
gitate autem duntaxat Principum Secularium
mentionem fecimus; Potestas enim Ecclesiasti-
corum in hoc negotio per *Reservatum Ecclesiasti-*
cum, vulgo den Geistlichen Vorbehalt/ restricta est,
vi cujus Status Ecclesiastici ab antiqua Religione ad
Augustanam, vel Reformatam, transeuntes, omni-
bus bonis, dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis,
nec non redditibus inde provenientius privantur
vid. Pac. Religios. §. 18. Und nachdem bey Ver-
gleichung. Cui clausulæ privatoriae cum Status Im-
perii Augustani acriter sese ac variè opponerent,
prouti videre est apud LEHMANN. *in act. publ. de*
pac. relig. L. 3. c. 38. & LIMN. Lib. 1. J. P. c. 13. n.
34. & seqq. Tandem res per Instrumentum Pacis
Osnabrug. *Art. V. §. 15.* ita est composita, ut, si Ca-

tholicus ad Evangelicam Religionem, vel contra
Evangelicus Episcopus ad Catholicam accedat, eo
ipso Episcopatu & bonis Ecclesiasticis aliisque juri-
bus excidat, salva tamen existimatione, nec non
reditibus perceptis & consumptis, vid. BUR-
GOLD. *disc. 20. n. 5.* Quam beneficiorum amis-
sionem ad Commendatores Ordinis Teutonici, si
illi ab una Religione ad alteram transgrediantur,
vulgo equidem Dd. haud extendendam autu-
mant, quod militibus potius, quam personis Ec-
clesiasticis annumerandi videantur vid. CRAN.
de Pac. Relig. p. 1. probl. 12. & SVEVUS *de pac. relig.*
propof. 8. n. 2. Sed cum usu Juris Publici omnes illi
pro personis Ecclesiasticis habendi sint, qui Reve-
rendi titulo insigniuntur, & præterea non de Epi-
scopis tantummodo, sed generatim de omnibus
personis Ecclesiasticis religionem mutantibus in-
d. §. 15. Art. V. J.P.O. sermo fiat, rectius Commen-
datores etiam huic Reservato obnoxii censentur,
vid. Illustr. DN. RHET. de Jur. Stat. Imp. circ. sacr.
c. 4. n. 21. Cæterum quod ad commemoratam
Principum Secularium reformandi potestatem
attinet, illa tum conventionem omnium tribus illis
religionibus addictorum Statuum communi, tum
speciali inter Lutheranos ac Reformatos pacto
quadantenus restringitur. Generaliter inter Ca-
tholicos Lutheranos ac Reformatos Ordines Im-
perii



perii in id conventum est, ut illi subditi reformati-
one aliquâ nullo tempore angantur, qui Anno
M. DC. XXIV. quâcunque anni parte diversum à
Religione Domini pietatis, sive publicum, sive pri-
vatum, exercitium realiter possederint, ita, ut illud
quoque ex conventionem impofterum Dominus
perferre teneatur, nec ad Religionem suam eos sub-
ditos valeat compellere; non attentò titulò, unde
nacti sint suæ religionis exercitium, *vid. §. 31. Art.
V. J. P. O.* nec quâ parte dicti anni id fuerint adepti,
vid. Illustr. DN. RHETIUS cit. loc. n. 8. modo realis
possessio probetur. Quo casu turbati in possessio-
ne ad normam dicti anni restituuntur *dict. Art. V. §.
32.* ita ut nec pacta ante interposita, nec transacti-
ones, nec res judicatæ ob publicam salutem ob-
stent, sed potius cassentur. *§. 33. ejusd. Art.* Quæ
præclara Instrumenti pacis dispositio Legum civi-
lium disciplinâ neutiquam infirmatur. Nam
quamvis Leges de futuris non de præteritis ferri di-
cantur *L. 7. C. de LL. & l. 29. in fin. C. de Testam.* pro-
pter jus scilicet per præterita alteri jam dum quæsi-
tum; Utilitas tamen publica exceptionem patitur,
intuitu cujus negotia præterita, in quantum præju-
dicio futuris esse queant, omnino revocari possunt.
Cum autem duntaxat præteritæ conventiones in
alleg. §. 33. irritæ pronuncientur, facile colligere est,
eas, quæ postea inter Dominum & subditos de re-

ligionis exercitio fuerunt initæ, utique subsistere.
Nam prohibitio ad præterita restricta vim in futura non extendit. vid. BURGOLD, *in Notit. Imp. disc. 32. n. 4.*; Quatenus igitur posthac nihil aliud conventum erit, dictus Annus M.DC. XXIV. pro termino à quò exercitii religionis in præsentì casu saltem reputandus veniet. Quod autem porro ad alteram Juris Reformandi limitationem attinet, quæ ex speciali Lutheranorum cum Reformatis pacto proficiscitur, ea in *Art. VII. J. P. O.* continetur, & sequentis argumenti est: ut, si forte Lutheranus Status ad Reformatos, vel hic ad illos, transeat, vel si quis Principatum aut ditionem, ubi sacra alterius partis publice exercentur, seu successionis jure, seu titulo quovis aliò, nanciscatur, neuter horum suæ Religionis exercitium in istud territorium possit introducere, sed suæ conscientiæ, aulicis concionatoribus specialiter ad id constitutis, solus relinquatur. Præterea nonnunquam etiam Juri Reformandi peculiaribus principis ac subditorum pactis certi limites ponuntur, quæ pro lubitu à principe neutiquam infringi possunt. Nam cum ipsâ naturâ quisque adigatur ad id, quod semel honeste placuit, servandum *arg. L. 1. pr. ff. de Pact.* salvis naturæ ac conscientiæ Legibus, à pactis ejusmodi Princeps haud resiliere poterit.

XVI. Si

XVI.

Si vero talia pacta nulla intercesserint, nec quicquam de religionis negotio fuerit conventum, potestas haud paulò liberior Principi in ordinando divino cultu competit, & tum pro lubitu unam ex supradictis Religionibus in suo territorio introducere, aut introductam iterum mutare potest; quo casu tamen neminem ex subditis ad amplexandam novam religionem licet cogere, & si illi quiete vivant, nullisque turbationibus ansam præbeant, iis invitis, præter eam quam profitentur, alia religio salvo conscientia ac publico jure neutiquam obtrudi potest *v. J. P. O. Art. VII. FRIEDER. de Proc. Camer. c. 29. n. 3. RUMELIN. ad Auream Bullam Diss. 2. Coroll. 2. & 3. LIMN. l. 1. J. P. c. 13. n. 32.* Tyrannis enim est conscientias dominari velle, ut dixit quondam MAXIMIL. II. & nemini ad credendum vim inferendam esse *can. de Judæis V. Dist. XLV.* expresse continetur. Unde inter violentam conscientiarum coactionem ac publici exercitii prohibitionem probe distinguendum est, quarum hæc tantummodo, non item illa, juris Reformandi justis cancellis includitur. Sane si subditi diversæ Religionis in cæteris officium suum cum debito obsequio atque subjectione adimpleant, patienter tolerandi sunt, & conscientia libera domi devotioni suæ privatim vacare, in vicinia ve-

ro,

ro, ubi & quoties voluerint, publico religionis
exercitio interesse, vel liberos exteris suæ religionis
scholis, aut privatis præceptoribus, instituendos
committere, ipsis permittendum est. vid. §. 34.
Art. V. J. P. O. Quod si vero publico religionis
exercitio hâc ratione exclusi alium in locum mi-
grare desiderent, Dominus territorii invitos eos
retinere nequit, sed beneficium emigrandi, qua-
tenus Lege publica ipsis est concessum, factum te-
ctumque, quod ajunt, relinquere tenetur; Quod
ipsum an magis voluntatis an vero necessitatis sit,
prolixè jam examinare non opus est, cum præ-
gnantibus jamdudum rationibus *Illustris DN.*
RHET. in alleg. Diss. c. 4. n. 12. & seqq. deduxerit,
illud ex parte subditorum merè voluntatis esse, cu-
jus sententiam hoc loco nostram facimus. Et hæc
emigratio regulariter absque detractioe ac censu
concedenda est *BERLICH. p. 3. concl. 52. n. 55. &*
WEHNER. in Observ. voc. Nachsteuer/ ac tempus
ad emigrandum ex arbitrio judicis pro persona-
rum conditione præfigitur. *LYNK. de Superior.*
sacr. §. 12. Cæterum & in eò sæpe laudato *DN.*
RHETIO subscribimus, indirectam coactionem
in religionis negotio nonnunquam adhiberi, &
subditos ad id à principe cogi posse, ut concionibus
Religionis, cui ipse addictus est, haud raro inter-
sint, nulla illius, quod prædicatur, credendi neces-
sitate

tate conscientis impositâ , modo & hæc coactio non in excessum declinet : quinimo multum hic interest inter ipsam Religionem dissentientium subditorum, paucis an multis discrepet. *vid. sep. alleg. Diss. de Jur. Stat. Imp. circ. sacr.* Præterea sicut Princeps subditos non potest vi adigere, ut suam religionem semel cordibus infixam deserant, ita & subditi è contrario vi & armis resistere Principi prohibentur, si ille falsam atque erroneam Religionem proponat. Quamquam enim hoc casu non magis principi parendum, quam si abstinendum ab alendo parente per impietatem jusserit; à negatione tamen obsequii non datur transitus ad resistendi licentiam, & licet actus imperii, qui fertur ad illicita, careat effectu suo, scil. obligatione, manet tamen ordo civilis inter imperantes & parentes, quò stante, semper princeps majestate suâ defenditur, quam vitia nec inquinant, nec fugant, *vid. BRUNNEM. de Jur. Eccles. c. 2. n. 30.*

XVII.

Porro & in eo eximium est Principis circa Religionem imperium, quod ipsi liceat in Republica Atheos, Hæreticos & infideles coercere. Quodcunque enim ad beatitudinem civilem facit, id subjacet imperio summæ potestatis. Quid autem magis promovet beatitudinem civilem, quam Atheismi coercitio? cujus acerrimi vindices jam o-

H

lim

lim omnes ferè gentes, imprimis vero Athenienses
extiterunt, quos per contemptum divini numinis,
quod fingebant ipsi, omnia misceri, & imperia e-
verti tandem, longa non unis vicibus experientia
docuerat, *vid. GISB. VOET. disp. de Atheism. part.*
4. probl. XI. Nec minus ad tranquillitatem publi-
cam conducit proscriptio & amolitio hæresium,
quarum libera propagine corripere Respublicas ac
misere divelli, utinam non multis adeo exemplis
possemus comprobare! Quamobrem & iste Im-
perii circa Religionem articulus paulo sollicito hic
expendendus erit, cum præsertim hoc nostrò secu-
lò nullum, hæresium feracius, & pietatis sterilius,
extiterit. In Christiana nostrâ salvificâ Religione,
quam accommodatissimam regendæ Reipublicæ
B. ZIEGL. de Jur. Maj. l. 1. c. 13. §. 8. & seqq. elegan-
tissime probavit, duo quasi dogmatum continen-
tur genera, quorum alterum ex naturali Theolo-
gia, quam homo addiscit in statu rationali suo, al-
terum ex revelatâ, cujus, aliunde illuminatus, &
motu divino agitated, compos fit, cuique inno-
tescit. Quod ad Theologiam naturalem attinet,
certissimum & inpropatulo est, civilem societa-
tem aliquam planè subsistere non posse, nisi cives
sibi firmiter habeant persuasum, esse numen ali-
quod omnipotens, omnipræsensque, quod bonas
hominum actiones amet, malas vero odio prose-
quatur,

quatur, hisque fulmina & pœnas, illis vero præmia
paret ac decernat. Hoc igitur cum apud omnes
populos natura notum sit, ut nullus plane non in
id consentiat, & ut consentiat, sit necessarium, po-
test certe à Majestate civili non tantum imperari,
ut illa naturalis Religio sit penes subditos quoscun-
que, sed & insuper, ne cui licitum videatur, quic-
quam adversus eam pro lubitu committere, pro
delicti atque impietatis assertæ ratione, aut etiam
pro facie præsentis status, pœna insimul præstitui
ac definiri poterit, GROTIUS. *de J. B. & P. l. 2. c. 20.*
n. 45. & sequ. conf. prælaud. B. ZIEGLI. lib. 1. c. 16. §. 2.
cit. lib. At in iis, quæ naturali religioni Theologia
revelata addidit, æqua Principi potestas non est,
& illa sanctionibus suis, ut credantur, haud jubere
potest, cum ad felicitatem hujus vitæ & beatitudi-
nem civilem directò non pertineant, & præterea
in iis prorsus spontanea fides requiratur. Breviter,
ut credatur, esse Numen aliquod omnia guber-
nans, & ut illud sanctè in Republicâ colatur, Prin-
ceps equidem præcipere & refractariis supplicia
etiam irrogare potest. Nam absque hac naturali
religione nulla societas civilis potest conservari. Ut
vero credatur Numen illud esse unum in essentia,
& trinum in personis, & quæ alia verbum Dei no-
bis revelavit, per leges nemini necessitas imponi,
nec in secus credentes pœna decerni potest. Nam

fidem in his sub poenâ exigere, est velle imperare
intellectui, qui imperium non audit, & objectum,
quod hoc loco rati habendum proponitur, & pa-
ritio, i. e. rati habitio cujuscunque veritatis super-
naturalis seu theologicæ, non per naturam, in quam
solam, cæteris paribus, magistratui imperium est,
sed per solam supernaturalem gratiam cognosci &
præstari potest. Præterea nec directè officit tran-
quillitati publicæ, si nonnulli subditorum erro-
neam de DEO opinionem foveant, sed tum de-
mum, si privati ejusmodi errores turbarum semi-
na in publicum dispergant; quibus præsuppositis
nunc facile colligere erit, quid Christiano Principi
circa Atheos Hæreticosque liceat. Sane quâ poe-
nâ Athei sint cohibendi, ferè inutilis est disquisitio,
non quod rari ad eò sint, sed quod plerique vesti-
gia Epicuri premant, de quo CICERO *L. i. de Na-
tur. Deor.* refert, *ne in Atheniensium offensionem ca-
deret, verbis reliquisset Deos re ipsâ autem sustulisset.*
Plurimi profecto sunt, qui simulatâ sanctitate ore &
lingua Deum profitentur, clausum vero in pecto-
re perfectum Atheismum tenent, quare de Atheo-
rum coercitione nihil amplius commonefacimus,
quam quod liberrimum in eos Princeps habeat im-
perium, si atheismum vel scriptis, vel alia ratione
palam profiteantur, & poenis acerbissimis hoc ma-
lum esse extirpandum. De Hæreticis vero non
idem

idem est iudicium, sed cum his mitius putamus
procedendum, nec enim directe hæreses tran-
quillitati publicæ officiant, nec tam perniciosi sunt
societatibus civilibus, qui Numen aliquod, falsè
licet & erroneè, formidant, atque horrent, quam
qui penitus inficiantur. Id equidem ultrò fate-
mur, non parum ad bene esse Reipublicæ conferre,
si omnes corruptelæ & falsa de religione dogmata,
eliminari queant, & quod possit, imo teneatur,
quilibet, penes quem summum est imperium, sub-
ditos, falsis dogmatibus seductos, ad veram fidem
invitare; quod fieri potest tum sedula & diligenti,
quam procurare debet, institutione, & refutatio-
ne solida opinionis adversæ, tum omnis injuriæ &
violentiæ aversione ab Ecclesiâ, quam ipse fovet,
tum denique elargitione beneficiorum sæpe extra
ordinem instituenda, ut pluribus docet CON-
RING. *sep. cit. Diff. circ. fin.* Sed quod, his reme-
diis frustra adhibitis, postea ferro & igne in eos sævi-
re, ac detonare queat, rectissime negatur. Nam
nec hoc modo Servator noster fidem propagari
iussit, nec primitiva Ecclesia hanc violentam pro-
pagationem ullo tempore probavit, vid. CON-
RING. *cit. Diff. th. 97. & seqq.* nec demum religio
coactionem patitur, quippe quæ in mente ac in-
tellectu radicata omnem externam coactionem
respuit. Eleganter THUAN. *in præf. oper. sui. Alia*

omnia pro arbitrio civilis magistratus, atque adeo
Principis sancuntur; sola Religio non imperatur, sed
ex præcepta veritatis opinione, accedente divini nu-
minis gratiâ, benè preparatis mentibus infunditur;
Ad eam cruciatus nihil valent, quia obfirmant potius
animos, quam frangunt, aut persuadent. Quod de
suâ illa sapientiâ tam magnificè prædicarunt Stoici,
hoc nos multò justius de Religione dixerimus. Nam
ubi quis religione ducitur in eò nullum habent mo-
mentum vexatio & dolor &c. Nec minus egregiè
alius quidam Scriptor Gallicus Pelletierius: Cer-
te la conscience ne veut estre regentée la dagne a la
charge, ne dependant d' un commendement rude &
violant: ains elle s' apprivoise, elle s' instruit & rend
capable de son salut par la douceur, par la persuasion
& par les preues aimable de la vray doctrine. Addan-
tur quæ prudentissime sub persona Ibburanis,
JOH. BARCLAJUS disserit L. 2. suæ Argened.
Quicquid etiam Pontificii afferant in contrarium,
aliter profecto statui non potest, quandoquidem
fides tota consistit in actibus internis; actus vero
interni à nulla potestate externâ præcipi aut im-
perari possunt. Nulla enim potestas humana,
quantacunque etiam sit, super internas mentis no-
stræ actiones plenam & legitimam autoritatem ha-
bet, & præterea Princeps nulla potestate gaudet
subditos compellendi, ut hoc vel illud interius o-
pinen-

pinentur, aut aliquem castigandi, quod hanc vel
illam opinionem in mente suâ defendat. vid.
ZIEGL. *cit. loc. p. 312.* Unde nec hæreticus, qua-
talis, solius hæreseos nomine pœnis & suppliciis ex-
ternis coerceri potest. Cæterum quia tamen vo-
luntatis opus est, suum de religione sensum vel te-
gere vel profiteri, etiamsi intellectus erroneus su-
perari forte nequeat; nec pœnis etiam propositis,
ut credat aliter, possit adigi: Potest omnino Maje-
stas prohibere, ne falsos conceptus suos in publi-
cum quis proferat, & scandalum præbeat Ecclesiæ,
additâ etiam pœna insimul, si quid commiserit
adversum, *c. ressecanda 24. q. 3. l. 1. C. de SS. Eccles.*
Quamquam enim actibus internis Leges directò &
à priori applicari nequeant, arg. *l. 18. ff. de pœn.*
potest tamen id fieri à posteriori, & indirectè, qua-
tenus exterius progrediuntur. *L. 6. C. de his, qui ad
Eccles. confug. L. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Hinc pariter
Princeps prohibere poterit, ne seditiose aut turbu-
lente verum oppugnetur, & falsum defendatur,
cum actus hi omnes ab arbitrio pendeant humano,
& imperio subiaceant. Quinimo ultimum etiam
supplicium princeps decernere poterit, sicubi fue-
rint hæretici, qui dogmata sua seditiose spargant,
aut injuriose divino numini insultent CARPZOV,
Prax. Crim. p. 1. q. 44. n. 41. LYNK. *de Super. sac.*
§. 13. ac omni correctione frustrâ adhibitâ, omni-
que

que sanioris vitæ spe deperditâ, factiones Reipublicæ frequentes machinentur. Quibus circumstantiis concurrentibus demum opinio DIDACI COVARRUVLÆ Tom. 2. Resol. l. 2. c. 10. n. 10. CO-RASII 3. Misc. c. 8. PEREZII ad tit. C. de heret. TIBERII DECIANI l. 5. tract. crim. c. 40. & 42. & aliorum ex Pontificiis procedit, & nemo propter solam hæresin, sed tum demum, si falsa dogmata disseminando motus cieat in Republica, vel aliis scandalis detestabilibus tranquillitatem publicam disturberet, ultimo supplicio afficiendus est. Nam soli externi actus, non vero immanentes illi, quibus hæresis imprimis radicatur, temporali jurisdictioni subjacent. Nec obstant Leges, quæ in contrarium ex Codice JUSTINIANO afferuntur, cum illi aut de alio casu, ut sit in l. 4. C. de heret., (sc. de cassatione ultimarum voluntatum, item de accusatione & memoriæ damnatione in morte i. e. post mortem instituenda) aut de personis se taliter, ut modo dictum est, gerentibus disponant vid. l. 8. & 11. C. de heret. l. 2. ff. de Colleg. aut demum malè ex Codice THEODOSIANO à TRIBONIANO descriptæ atque ab eo interpolatæ sunt, vid. l. 5. C. de heret. & l. 2. C. ne sanct. baptism. it. vid. JAC. GOTHOFR. ad Cod. THEOD. Tit. de Heret. Quod si quæ forte aliæ non minus acerbæ constitutiones inveniantur, ea vel de hæreticis blasphemis aut seditiosis itidem intel-

intelligendæ sunt, vel pœnas continent in terrorem tantum præstitutas, quas nunquam executi sunt Imperatores, ut de Theodosio expressè testatur SOZOMENUS l. 7. c. 12. vel ab Impp. sacrarum literarum ferè ignaris, ad suggestionem Episcoporum quorundam sanguinariorum, & qui ex animi impotentia parum recordati sunt, quod fides non cauteriis inurenda, sed instillanda rationibus, sunt conscriptæ. Præterea nec propter solam hæresin bona hæreticorum statim publicari possunt, inveniuntque parum præsidii, qui secus statuunt, in *Authent. Gazaros C. de Heret.*, quâ simpliciter, & non attentâ distinctione inter hæreticos magis & minus improbos, quæ ex *L. 4. & 19. C. eod.* alias elicitur, nec respectu habito, an liberos orthodoxos habeant, vel non habeant, quorumvis hæreticorum bona publicantur. Pars enim Juris Civilis rescriptum illud Cæsaris FRIEDERICI haud est, quia extra libros nostros earum constitutionum numero habetur, quæ extravagantes appellantur, & dubiæ autoritatis sunt; *vid. WISSENB. ad Cod. Tom. 1. p. 32.* Quinimo non facile, nobis persuaderi patimur, Imperatorem, cui Pontifices fuerunt infensissimi, in gratiam eorum hæc rescripsisse. Similiter plane nihil apud nos autoritatis habet *cap. Vergentis 10. X. de heret.* Quid enim ad Pontifices attinent bonorum confiscationes, quibus

I

Ser-



Servator noster adeo se non immiscuit, ut ne arbitri quidem officio fungi, & inter fratres hæreditatem dividere voluerit? *Luc. XII. v. 13. Et seqv.* Postremò autem, quid Recensibus Imperii, & aliis Constitutionibus, in hæreticæ doctrinæ disseminatores sit statutum, in vulgus notum est, *vid. R. J. de Anno 1529. S. Nachdem auch kûrghlich/ de Anno 1544. S. Nachdem auch die schädlichen Et de Anno. 1555. S. Nachdem auch die Chur-Fürsten/ & pariter proluxa haud eget demonstratione, quinam pro Hæreticis hodie sint habendi. Nam satis perspicue id ipsa verba Instrumenti Pacis docent *Art. VII. in fin. Præter religiones supra nominatas (Lutheranam, scil. Catholicam & Reformatam) nulla alia in sacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur.**

XVIII.

Ulterius ad summam circa Religionem Potestatem etiam *Synodi* pertinent, quæ mandato principis Religionis & Disciplinæ Ecclesiasticæ constituendæ, vel conservandæ gratia coguntur. Varias vocabuli acceptiones studiosè hic conquirere, copia rerum, quam hæc pagina vix capit, haud permittit; exacte eas GROTIUS proposuit *de Imp. summ. Pot. circ. sacr. c. 7. §. 1.* ad quem sollicitos de verbis ablegamus. Hic nobis Synodus conventus est piorum, eruditorum & gravium virorum, ab Ecclesiis, ex omnibus earum ordinibus, ad legitimam

mam, & summæ potestatis imperiô factam, convocacionem, propterea missorum, ut de fidei controversiis & disciplina ex Verbo DEI dispiciant & judicent, *vid. ZIEGL. de Jurib. Maj. p. 177.* Utcunque autem haud illibenter audiamus, qui Synodos ad sopiendas de fide controversias simpliciter neque necessitate præcepti, neque necessitate mediæ esse necessarias, affirmant, *vid. HENNIGES de Summ. Imp. Pot. circ. sacr. c. 8. §. 2.* nihilosecius defendi posse arbitramur, eas necessarias esse necessitate expedientiæ, ut vocant, h. e. ut finis iste, qui à Christianis ex scripturâ singulatim etiam haberi potest, ab iisdem conjunctim per unicum illud controversiarum decidendarum medium, Scripturam sacram scilicet, acquiratur melius, & ut plures Ecclesiæ particulares in unitate professionis & honestate morum perseverent. Ad hæc ut Synodi ad imperium Summæ Potestatis referri queant, sufficit, eas insignis esse utilitatis, utut neutiquam necessitatis absolutæ sint. Nam ad imperium principis spectant, non solum quæ necessaria sunt in Republica, sed etiam quæ utilitatem præstant, & Republicæ tranquillitatem quocunque modo promovent. Jam vero si in Republica, tam in sacris, quam civilibus bene constituta luxuriantia inopinato ingenia exsurgant, & novas in divinis controversias excogitando turbas Republicæminentur,

certe ad veritatem coelestem afferendam, & declinandas turbas imminentes, multum synodi & eruditorum ac moderatorum hominum collationes conferent, & quod alter vel etiam plures perperam statuunt, ab aliis, vel uno etiam ex sacris literis corrigi ac emendari poterit. Incassum igitur laborant, qui Potestatem circa Synodos dubiam Principibus reddere conantur, nec juvantur eo, quod, primis Ecclesiae temporibus nullam Synodum Imperatorum Gentilium autoritate, sed ex merò Episcoporum arbitrio, habitam fuisse constet. Quid enim infelicia opponunt Christianae Religionis tempora? Quid gravia fata, & per patientiae specimen probatam fidei constantiam? Certe sicut navis, si nauclero suo destituitur, propterea non negligit conservationem sui, sed opem undecunque inter vectores sollicitat. Sic pariter Ecclesia primitiva in crudelissimis persecutionibus rectore in externis destituta, non ita ut volebat, sed ut poterat, se sustentabat, & Episcoporum precaria operâ ad convocandas Synodos utebatur. Postquam autem ad Christianos Principes summa Imperii transiit, & jam Religio ipsa eorum Regimen expeteiit, simul quoque cura hæc ad eos devoluta est, ut concilia aut synodos, sicubi opus esset, convocarent, suâque indicerent autoritate; imo sine permissione bonorum ac religiosorum principum citra collisionis



tionis ac factionis suspicionem ab Ecclesiasticis personis nulli conventus *L. 15. C. d. Episc. & Presbyt.* ex hoc tempore institui potuerunt. Ut hoc innumeris exemplis ex antiquis Ecclesie Christianae monumentis illustremus, nec nobis liberum relinquunt coarctandi Exercitationis fines, nec exigit necessitas. Provocamus hanc in parte denuo ad BRUNNEMANNUM supra Thesi XII. à nobis allegatum, nec non ad ZIEGLERUM *d. Jurib. Maj. c. 15. §. 5. & seqq.* qui haecenus dicta egregiis exemplis sufficienter declararunt. Si vero nec his luminibus contentus sis in re meridiana luce clariori; BINIUM, BEVEREGIUM, DORSICHEUM, & alios, qui de Conciliis ac Synodis scripserunt, consulas, qui omni scrupulo te facile levabunt. Nos ad divisionem Synodorum, quae illae in Oecumenicas ac Topicas vulgo discernuntur, absque ambagibus nunc properamus, quid circa posteriores nostris Principibus imprimis liceat exposituri. Nam, cum Oecumenicas seu Generales instituere, non in eorum potestate, sed solius ferè Caesaris esse videatur, & insuper pro praesenti rerum facie Concilium Oecumenicum in Ecclesia Christiana haud amplius sperari queat, merito relinquimus a tergo, quae huc non pertinent, & quae praeterea inaniter expenderentur. Nec porò ipsis Topicis prolixè nimis insistere, consilium est, sed paucis haec nostra

est sententia: & conuocationem synodi, & ejus directionem & confirmationem denique eorum, quæ conclusa sunt in Synodo, ad principis imperium spectare. Sanè Synodum non tantum conuocare Princeps, sed etiam personas vel ipse, vel per alios eligere ac designare potest, quot & quæ concilio aut Synodo. interesse debeant, nec non quo loco aut quo tempore Synodus habenda sit, à mera ejus determinatione pendet. vid. HENNIGES *de Summâ Imp. Pot. circ. sacr. c. 8. §. 11.* Conuocata vero Synodo, & directio & defensio ejus principi incumbit. Cum enim fieri possit, ut turbæ excitentur ab inquietis hominibus, & ex mutuo contradicendi studio grauior aliqua dissensio oriatur, aut supprimatur veritas enormi ac impudenti libidine altercandi: Principis utique hic munus erit, coactivâ jurisdictione ordinem in concilio imperare, disceptationes moderari, vim externam prohibere, & pœnas temeritati debitas à turbatoribus repetere. vid. GROTIUS *sup. alleg. loc. c. 7. §. 13.* Imo & iudicium Princeps in ipsa Synodo de rebus, quæ ibi agitantur ferre potest, nam discretivum iudicium in sacris etiam Laicis competere, & solum directivum ad verbi divini ministros pertinere, supra Thesi XII. à nobis dictum est. Quid ni ergo Principis iudicio in Synodo quoq; locus sit, cum ipsi in sacris divino insuper ac naturali jure imperativum
iudicium

judicium conveniat? Postremo, finitâ tandem Syno-
do, iterum quod agat, Princeps habet, & in quô
Majestatis suæ vires exerat. Tum enim ne irrita
sit Synodus, decreta decenter legitimeque facta
confirmare, sancire, & in publicum præscribere
tenetur; alias enim nisi potestas νομοθετικῆς acces-
serit, omnis evanescet Synodi autoritas, & in nu-
dum disputationis certamen desinet. Nam
non Decreta & Canones Conciliorum illam ex se
autoritem habent, ut unumquemque statim obli-
gent, sed demum accedente autoritate ac confir-
matione principis; quam tamen nec coeco im-
petu mox Princeps iis impertiri debet, sed dog-
matibus prius juxta verbum Dei, canonibus vero
ad prudentiæ regulas examinatis; quo facto de-
mum eorum veritate atque utilitate cognitâ, con-
firmatione principis recte muniuntur. *vid. GER-
HARD. JOH. VOSSIUS d. Jur. Magistr. in reb.
Eccles. p. 41.* Cæterum cum Colloquia etiam
multum faciant ad verum scripturæ sensum inda-
gandum, si inter Orthodoxos ac Heteroxos legiti-
me instituuntur, & horum ordinatio merito Prin-
cipi vindicanda est, quippe ad quem omnium il-
lorum cura pertinet, quæ Ecclesiæ ac Reipublicæ
salutaria videntur. Differt autem Colloquium
à Synodo præcipue in eo, quod in synodis definiti-
tivè controversiæ & quæstiones deciduntur; in
collo-

colloquiis vero nihil proprie decernitur, sed tantum inquisitio instituitur in utriusque partis argumenta, & quantum fieri potest inter dissentientes tentatur conciliatio, ut exemplo suo comprobatur celebre hujus seculi Colloquium Thorunien-
se, vid. ZIEGLER, *cit. loc. p. 308.*

XIX.

Nihil moramur quæstionem, quam alias Dd summo studio ac cura hic enodare solent: Liceat ne Principi absque synodo in rebus sacris aliquid statuere? Nam illa tum ex ipsa summæ potestatis indole, tum etiam ex natura synodorum facile resolvi potest. Si enim summa potestas sine Synodo non imperare posset, quod potest alias cum Synodo, sequeretur, quod per se non summa esset, sed partem imperii à Synodo acciperet: cumque porro nemo det, quod non habeat, istud etiam ulterius sequeretur, aliquod summum imperium esse penes Synodum, quod tamen nec divinis nec, humanibus legibus ipsi unquam tribuitur, nec ut, tribuatur, summi imperii indoles permittit. Cum enim ordo semper detur cum respectu ad aliquod primum, id autem primum & summum solum debeat esse atque unicum, alias primum esse non possit; itaque duo summa constitui non possunt, salvâ summâ Reipublicæ Majestate, salvôque Ecclesiæ ac Reipublicæ discrimine. Præterea ad ipsos
Synodos

Synodos quod attinet, eas neque necessitate præcepti, neque necessitate mediæ simpliciter ad sopiendas fidei controversias esse necessarias, modo dictum est, unde eas equidem non sine justâ causa à principe recusari, bene tamen omitti ex justâ causa posse, nunc sua sponte fluit, & perspicuis exemplis à GROTIO *cit. loc. § 4. & § 5.* declaratur. Fusius hæc persequi, frustranea omnino esset opera; quamobrem recto pede ad Legislativam Principis circa religionem potestatem nunc transgredimur, & imprimis ad eam quidem, quæ circa partes Religionis singulas versatur, cum, quid circa totum religionis corpus ipsi liceat, jam supra in capite de Jure Reformandi satis sit expositum. Gaudere Principem Legislativam in singulis Religionis partibus autoritate, nec multis adstruere rationibus, nec docere exemplis, nec illustrare antiquis testimoniis necesse est. Relinquimus libenter laudem suam industriæ HENRICI HENNIGIS, qui *in tract. sæpe alleg. de Summ. Imp. circ. sacr. pot. p. 35. & seq.* varias, tam ex legibus civilibus, quam Recesibus Imperii, de sacris sanctionibus sedulo congescit. Ipse fulgor summæ potestatis, quæ quilibet Princeps in suâ ditione pollet, nitidissimum hunc sui radium facile sibi vindicat, & exemplis omnibus experientia quotidiana major est. Sunt autem illa, de quibus Princeps hic leges ferre potest, duplicis imprimis generis, eoq; vel ad ipsam fidei substantiam & salutis summam pertinent, vel ad externum cultum ordi-

K

nan-

nandum, ut εὐχρημόως κατὰ τάξιν in Ecclesia cuncta peragantur *1. ad Corinth. 13. v. 14.* Priora quod at-
tinet, dum circa illa Legislariam potestatem Princi-
pi asserimus, ne utquam id ita capiendum, ac si tam-
late pateat principis potestas, ut novos condere fidei
articulos, aut nova instituere sacramenta possit. Ta-
lia enim penitus in se sunt immutabilia, & terminos
humanæ potestatis atque politici imperii egrediuntur.
Neque enim quicquam potest ad salutem credi, nisi
quod Deus ut tale patefecit, neque aptum divinæ gra-
tiæ applicandæ instrumentum esse potest, nisi quod a
DEO ipso isti usui est assignatum. At vero ut saluta-
ris doctrina sancte custodiatur, atque sincere sine ullo
additamento hominum ex verbo DEI proponatur, id
utique spectat ad principis imperium, ipsique curæ
cordique esse debet, quo facit imprimis *L. 6. C. de SS.
Trinit. vid. GROT. cit. loc. c. 3. num. 11.* Præterea si du-
bium de intellectu Scripturæ Sacræ oriatur, itidem ad
principis Imperium pertinet, Theologis cordatis in
consilium adhibitis, publicâ sanctione id decidere.
Cum enim DEO non placuerit, Scripturam Sacram ita
nobis non proponere, quin variæ de ejus sensu opini-
ones nasci possent, nec immediatâ revelatione hodie
nos illuminet, reliquum erit, ut subditi è Republica
aliquam suam faciant, quæ electio cum privatæ auto-
ritati nequeat relinqui propter turbarum dissensio-
numque metum, per ea, quæ Mæcenas apud DIONEM
CAS-

CASSIUM *Lib. 52. hist.* adducit ; sola tunc hoc intuitu
restabit amplectenda , quam Princeps, Orthodoxis
Theologis in consilium adhibitis, divinæ voluntati
convenientissimam judicat. THABOR. *de Regim. Eccl.*
sect. 2. tb. 35. Hinc quoque Princeps prohibere potest,
ne de Catholica fide publice quilibet contendat, sicuti
& hoc ipsum expresse interdictum legimus in *L. 4. C.*
de SS. Trin.; quam aliqui de disputatione tumultuosa
saltem intelligendam putant, nos vero & de doctrinali
accipiendam arbitramur, si falsa dogmata suscipiantur
defendenda, & scandala exinde oriantur. Nam non
solum peccatis & moribus improbis, sed falsis etiam
dogmatibus, veram fidei doctrinam impetentibus,
scandalum præbetur. Habent se illa ut fermentum,
quod modicum etsi sit, totam tamen farinæ massam
inficit; ut gangræna, quæ totam sensim carnem depa-
scitur, & in toto corpore serpit, ut lepra & scabies con-
tagiosa, quæ totum ovile corrumpitur, imo demum,
ut scintillæ, quæ exiguæ licet sint, fomitem tamen &
nutrimentum si invenerint, integras ædes urbes & sal-
tus latissimos comburunt. *vid. Illustris DN. de RHEZ*
sep. alleg. Diss. c. 3, n. 12. Principiis igitur obstare oportet,
ne vires accipiat, quod ita præbetur scandalum;
quod bene olim Constantinus, & alii post eum Impe-
ratores adverterunt, qui quæstiones inutiles Schisma-
tibus cavendis præciderunt, *vid. tot. Tit. in Cod. Theo-*
dos. de his qui de religione contendunt, nec minus pru-

denter id novissimè recoluerunt animo Duces Bruno-
vicenses & Luneburgenses Lineæ GVELFERBYTA-
NÆ Serenissimi, qui duobus abhinc annis omnem de
novâ *Chiliasmi* controversia tam publicam, quam pri-
vatam disputationem, institutionem atque cum exte-
ris collationem in suo territorio Edicto elegantissimo
prohibuerunt, & omnibus erroribus, quibus purissi-
mus Evangelicæ doctrinæ nitor potuisset obscurari,
prævenerunt saluberrime; quod utinam imitentur o-
mnes, quibus summa imperia in manu sunt!

XX.

Et hætenus quidem de credendis, quantum in
iis princeps possit, abunde actum est. Videamus nunc
quomodo in cæteris, quæ ad decorum & externum
ordinem in Ecclesia conducunt, nec verbo Dei ex-
pressè definita sunt, Legislariam potestatem exerce-
re possit. Pertinent huc primo ritus & ceremoniæ,
quæ in Ecclesia sacris actibus adhiberi solent. Sic usus
luminum, candidæ aut alterius vestis in peragendis sa-
cris, signi crucis, exorcismi, & similibus totus subja-
cet Principis arbitrio. Videbit tamen Princeps ne adia-
phora talismodi in Ecclesiâ inveterata temere cum in-
firmorum scandalo immutet, quam in rem optime
MACHIAVELLUS, licet alias multa pessime: *Prin-*
cipi, o quelle Rep le quali si vogliono mantenere incorrot-
te, hanno sopra d'ogni altra cosa ad mantenere incorrot-
te le cirimonie della loro religione, & tenere le sempre

nella

nella lor' veneratione: perche nessun maggiore inditio
si puote hauere d' ella rouina d' una provincia, che ve-
dere Dispreggiatto il culto Divino, vid. Disc. ejus supr.
Liv. l. 1. c. 12. Arridet hic nobis præ cæteris sen-
tentia CONRINGII in sep. alleg. Diff. th. 20. & 21. ubi
explicat, quâ ratione quædam ceremoniæ juris genti-
um, quædam juris civilis dici queant. Sicut à Jure
Gentium temere deflectendum non est, ita, quod ipsi
Apostoli eorumque successores constituerunt, itidem
temere non est immutandum, vid. B. SECKENDOR-
FIUS in Deutschen Fürsten Staat p. 2. c. 11. p. 296. Porro
& alia quoque, quæ secundum se, ipsamque rei substan-
tiam, divinitus sunt præcepta, & ex hoc humanam
transcendunt potestatem, quoad circumstantias ta-
men locumque & tempus agendi, Principis dispositio-
ni liberæ similiter relicta sunt. Ita præcepit Deus
docere Evangelium, & administrare Sacramenta, qui-
bus vero diebus & quotâ diei horâ doceri, celebrari,
hocque fini cœtus convocari debeant, aut possint, hu-
mano arbitrio commisit, vid. ZIEGL. de Jur. Maj. p.
319. Eandem classem respicit Jus ferias ordinandi, quod
Imperator Tit. C. de Feriis nomothetice exserit, idque
satis latos habet fines, cum præter sanctificationem
diei Sabbathi alium Biblia non injungant. Princeps ve-
ro pius dum agnoscit, DEUM nunquam nimis coli,
merito alios quoque dies cultui divino consecrat, mo-
do DEUM directo inde coli nec superstitionibus an-



sam dari sibi habuerit persuasum. Quod Jus ferias ordinandi Statibus imperii vi superioritatis territorialis non minus, quam ipsi Imperatori competit *vid. Illustr. DN. de RHETZ cit. diff. c. 3. n. 14.* Neque inferiori Magistratui quicquam hic relictum est, nec obstat *L. 4. ff. de Feriis*: quæ non de novâ feriarum institutione, sed de ordinatione institutarum loquitur: adeo, ut Magistratus inferior ne quidem jejunii diem propria autoritate imperare possit, ut recte contra WESENBECIUM notat HAHN, *ad tit. ff. de Feriis. n. 4.* Et hoc jus ordinandi ferias fortiter sibi Status imperii asseruerunt, dum superiori seculo novum Calendarium, quod Papa GREGORIUS XIII. vultuoso plane supercilio obtrudere volebat, rejecerunt, quod in eo nova festorum dierum præcipiebatur observatio, ratione excusationis hac publice objecta: non Papæ, sed Principis cujusvis esse, in suo territorio de his disponere, *vid. REINKING. de Regim. Eccles. ac Secul. l. 3. cl. 1. c. 2.* Ulterius huc etiam pertinet jus ordinandarum precum, quia & ipsæ non tantum ad pietatem & publicam devotionem, sed etiam ad externum divinum cultum faciunt, & quia in illis certarum personarum, earum imprimis, quæ Ecclesiæ & Reipublicæ salutis operam impendunt, prospera incolumitas DEO commendatur. Id vero decenter & bono ordine ut fiat, Principis utique est disponere, quemadmodum & omnia alia, quæ quovis modo ad populum è suggestu vel

vel altari promulgari atque pronuciari debent, ejus
inspectioni subjacent, vid. *Nov. 137. c. 6.* Denique de
Disciplina Ecclesiastica, & moribus Clericorum, nec
non de causis Ecclesiasticis, quæ indirectè ad Religio-
nem pertinent, Princeps etiam leges promulgare po-
test; sed hunc articulum Legislatoriæ potestatis merito
silentio hic præterimus, cum ad alterum caput pro-
positæ tractationis scil. *ad Potestatem Principis circa
Personas Ecclesiasticas* pertineat. Quanquam autem
ex his omnibus satis perspicue pateat, ipsam Ecclesiam
ex se nullam plane Legislativam habere potestatem;
Nihil tamen obstat, quo minus Legislativa aliqua fa-
cultas Ecclesiis, Pastoribus, atque Presbyteris ab ipso
principe cumulative conferri queat, vid. GROTIUS
cit. tract. c. 8. §. 10. & II. Imo ultimo hoc probe
notandum est, in omnibus circa sacra conficien-
dis constitutionibus, quod materiam earum concer-
nit, non prorsus excludendos esse Ecclesiæ Ministros,
sed utiliter in consilium adhiberi, non quidem, ut
legem ipsi faciant, aut quod vim ea non habeat si-
ne Theologorum concessione & consensu; Sed
quod in præparanda materia constitutionis Eccle-
siasticæ illi suggerere optime atque suppeditare que-
ant, quid proficuum, quidve minus accommodum
Ecclesiæ suæ esse soleat. Vid. PETRUS de MAR-
CA *de Concord. Sacerd. & imp. L. 2. c. 6. num. 6.*

XXI. Ut

Ut postremo Jurisdictio correctrix & vindicatrix eorum, quæ in Leges Ecclesiasticas peccantur, multis rationibus Principibus vindicetur, & singulæ ejus perlustrentur partes, partim non opus est, partim ipsum hoc institutum nostrum, quod jamjam præter intentionem ultrajustû Academicæ Exercitationis modum sub manu crevit, non permittit. Potissima ejus capita in antecedentibus omnia ferè jam representata sunt, quæ restant autem, commodius in reliquorum Potestatis circa sacra capitum tractatione poterunt explicari. Sit igitur in præsentia labori finis, DEO

vero

GLORIA SEMPITERNA!





Sein Muntzer Geist und Sinn beweist, sich in der
That/
Und Seine Tugend kan / die schwersten Sachen heben;
Wer dieses beim Geblüht zugleich zu rühmen hat/
Der kan ohn Hinderniß nach höhern Glücke streben.

Dem Herrn Respondenti, Seinem sehr werthgehal-
tenen Freunde setzte dieses glückwünschend

C. A. Fr. von Griesen.

Non sapiunt certè, qui jactant stemmata clara,
Ac spernunt artes, stemmata quæ decorant.
Hoc bene scis FAUTOR: Nam, quamvis sanguine
claro

Ortus sis, artes sunt TIBI deliciæ.

In publicum hinc prodis, ac docto differis ore

De rebus dignis NOBILITATE TUA.

Conatum laudo, laudat quem Leucoris alma,

Ac opto ex animo prospera quæque TIBI!

G. Michael Heber, D.

M Arcellos, Fabiosque suos, Paullosque loquatur

Urbs æterna, tuos nos memoramus avos.

Palmatasque togas, evinctaque tempora lauru

Quot videas, patriæ quot stupeasque Patres!

L

Feli-

*Felices, inquam! quorum virtutibus instas
AEmulus, & factis addere facta studes.*

Generosissimo Juveni præstantem singularem-
que virtutem, h. e. qualem in MINK WIZIIS
semper experti sumus, summa voluntate
gratulatus est

Jo. Henr. Berger, D.

Confil. Elect. Saxon.



Est aliquid certè, generosò stemmate nasci,
Ac trahere à priscà nobilitate genus.

Est aliquid, longò censeris sanguine, & amplis
Majorum ceris posse placere sibi.

Ast & avita sequi simili vestigia passu,

Virtute ac famam quærere ritè parem;

Majus id: ad laudes qui pròinde aspirat easdem,
Certè is tergemina laude fereudus erit.

Hoc vero egregie, *Fautor Sva-visime*, præstas,

Dum quoque *Majorum* tendis ad altra viâ.

Illultris *Tibi* stirps, cœloque affinis origo;

Nec *Minckviziadum* nomina quemque latent.

Proh! quantas *Tua* res quondam *Prosapia* gessit?

Incluta quæ secum factaque *Fama* vehit?

Scilicet æterais sunt omnia condita fastis,

Possuntque à serâ posteritate legi.

Magnanimo Jano-Friderico Magnus Erasmus

Nomine Legati Splendidioris erat;

Et varium in variis *Minckviziis* ille probavit

Saxonico studium, non sine laude, *Duci*.

Cl-

Claruit ac *alius* quondam cognominis, *Illis*
Ornatus parili qui vel amore fuit.
Ipse etenim ulterius, *Magnò* præeunte *Lutherò*,
Promovit veræ Relligionis opus.
Notus & est super astra *Georgius*, atque *Johannes*,
Quorum consiliis *Saxonis Aula* stetit.
Quid multa? ipse *Parens*, Decus admirabile nostri
Floret adhuc secli, reddit Avosque suos.
Nec minùs *hunc* sequeris, *Fili non degener*, idem
Dum *Te* quærendi nominis ardor agit.
Maçte *Tuò* ingenio; sic itur ad æthera, *Patres*
Si cupis *illustres* æquiparare *Tuos*.
Quò pede cœpisti, modò perge tenaciter ire
Virtuti adiungens *Palladiæ* artis opes.
Hæc *Tua* doctrinæ jam *Dissertatio* testis,
Quæ de *Te* nobis magna minatur, erit.
Te fama ergò vetus quoque tandem æquabit *Olympo*,
Atque *Tuum* in summò ponet honore *caput*.
Præsentem intereà manet hunc præclara laborem
Gloria, subjiciens calcar ad alta magis.

*Generosissimi Domini à Minckwitz, egregius & ad Summa
tendentibus conatibus applaudens scr.*

C.H. Horn, D.

S O ist der Adel recht/wenn Tugend Ihn begleitet/
S Und Zehner diese Ihn zum Grundstein hat ge-
stellt; (leitet/
Wohin Gelehrsamkeit/Herr Münckwitz/Ihn ge-
Das weist uns sein Fleiß / un zeugt die fluge Welt.
Gottfried Eberus/D.

UT volet, huic habitum quivis, motusq; decentes
Corporis: ad summam, laudet equestre decus,
TE magis ingenio mensus, patriæque togatum
Heroem, generi spondeo spemque **TUO**.

*Generosissimo Dn. a MINCKWIZ virtutes illustri stirpe
dignas egregio studio gratulatur*

Jo. Gothofredus Berger, D.



Non aquilis fas est, imbelles edere fœtus
Ante fidem solis judiciumque poli;
Sic quoque, **MINKVVIZI**, qua natus stirpe probasti
Et qualis rector corpore sparsus agat,
Nam. Tua sat facies animosi plena vigoris
Eximias dotes dicit inesse Tibi:
Hinc nunquam piguit studiis intendere mentem,
Et semper doctis invigilare libris,
Omnibus hinc Te commendat tam splendida virtus
Ingeniumq; Tuum hac pagina docta docet:
Has olim laudes summi comitentur honores
Adprecor, & Patria commoda summa ferent.

*Gonorosissimi Dn. à Minkwiz egregiis studiis & co-
natibus. merito adplaudabat*

Christianus Vater,
Phil. & Med. D.P.P.



O MINKWIZIADES, veterum fate gente Quiritum,
Patriæ semideos, quos omni tempore & ævo
Heroes inter coluit, primaque locavit
Sede ipsos Virtus; post plurima nomina tefior,
Quasò imitere tuos, MINKWIZI strenue, magnos
Majores pariter Cognatos atqve Parentes!

Nil

Nil humile admittit florens MINKWIZIA Virtus:
Hæc memori si mente colas, super astra volabis.

Gente ac Mente Generosiori DN. RESPOND.
deprop. gratulabundus

G. C. KIRCHMAJERUS,

Orator. P. P. Acad. Senior.

EXornas cathedram generosæ stirpis imago,
Te decori exornat nobilitatque pari.
Ex æquo tribuis, proprium quod Principis æqui,
Quod sacris proprium cœtibus, attribuis.
Æqua proinde Tuæ meritis præconia laudis
Ore damus pariter nostra favente Tibi.

Ita

*Generoso atq; Nobilissimo Dno. Resp. virtute, cruditione,
morumq; elegantia plurimum conspicuo, cum prima
vice cathedram conscenderet, applaudebat*

J. C. Wichmanshausen, P. P.



Inclyta spes Patria, generoso stemmate fulges;
Claro Virtutis lumine stemma micat.
Mens tua præ multis varia arte polita coruscat,
Plene, quod decorat nobile stemma, tenes.

Scribebat ex sincero affectu

PRÆSES.



Perquam generoso Nobilissimoque

Respondenti

DN. LOTH SIEGMUND à MINCKWIZ,

amoris & observantiæ causâ,

S. D.

Wern. Theod. Martini.

Non temere cuiquam studio erga te cedo, quoties
offi-

officium meum requiris, tam promptum me præbeo,
ut id multo mihi jucundissimum sit, propterea
quod in eo perspectum in me, certe optatum amorem tu-
um præ te ferre videaris. Non difficile esset in te rep-
rire argumenta laudis, quæ se offerunt ex omni parte &
abundantissime exhibent: sive ætatem, quam opportu-
nissimam habes; seu dignitatem formæ ac corporis, qua
singulari ornatus es, sive genus, quo nobili, per antiquo
& incluto flores; seu denique, quod solum etiam sapien-
tissimus aestimaverit, quisque animum ingeniumque re-
spicere lubeat. Nec verò ferendam ulli, ne non tueri
possis expectationem, ac sustinere spem, quam de te
summam concitasti, si conatibus respondeat eventus,
quem frustra sit qui in humanis viribus situm esse cre-
dat, & expectare aliunde, quin expetere & flagitare,
summa industria oportet. Itaque neutrum agam, ne vel
indigno elogio te prosequar, vel ita me geram ac si te
commonendum putarem: sed ut tibi in illo laudis ac virtu-
tis stadio feliciter currenti gratuler, ut tibi Comitum &
arbitrum itineris hujus eruditi & elegantis propitium,
è cælo apprecer; id enim vero sic existimavi mihi facien-
dum, ut partem observantiæ erga te meæ in eo sitam ar-
bitrarer. DEUM quidem immortalem, qui quicquid
nos sumus largitur omne, & quæ nos gerimus fortunare
solus novit, veneror & precor, ut decus tibi à majoribus
pace belloque partum, quod Genti tuæ summum & im-
mortale est, salvum esse iubeat, & res tuas omnes sic so-
spuet,

spitet, ut vera stabilique virtute in illorum gloriam aliquando pedem inferas, & velut in propriam perpetuamque possessionem vestigium perenne facias ac ponas. Vale! Per scr. Wittembergæ Kal. Septemb. M DC XCIV.



Applausus votivi Commensalium.

Jam Minckwizius, & decus Camoenæ
Et qui stirpe creatus est celebri,
Ostendisse scientias aperte
Verbis egregiis cupit, labore
Quas multo & studio sibi paravit.

Wilhelm Fridrich Romul.



Prestantis radios te jam dispergere mentis
Cernere, Minckwizi, quilibet bocce potest
Hoc specimen famam multis quod laudibus orno
Et tibi mortalem reddat ubique precor.

Gottlob Ehrenreich à Löben.



Alma, Minckwizi, Themis est amore
Capta semper præ aliis tui, quæ
Apparat cura nitidas corollas
Nectere dextra.

Queis tuum doctum caput complicare
Illa vult, dicens: Erit hocce munus,
Sumat id quod pro studio dicavit
Artibus ille.

Adolf, Fried. Krull,
Hall. Magdeb.

Inge-

Ingenium miror tantum Minkwizius ille
His chartis scite quod commonstrare laborat.
Cujus virtutes magna & sapientia rerum,
Comprecor ut patria tandem dent commoda multa.

Frid. Godofr. de Wolffersdorf,

IN Themidos studiis operas multosque labores
Ex hoc, Minkwizi, te posuisse patet.

I. E. G. à Dalvviz.



Jam Mincwizius, orbe qui
Natus sanguine nobili,
Excelsos animo suo
Optat tendere nubium
In tractus, sibi gloriam
Et querit memorabilem.

Hiscè paucis obsequiosissimum erga Nobilis. Dn. à
Minkwiz animum suum ostendere voluit debuitq;
J. Z. Schmieder, D. M.



ULB Halle


3


005 361 702



VD 17







5363

17 20
1694 13a

Cum DEO!
EXERCITATIO JURIS
PUBLICI
DE
POTESTATE
PRINCIPIS

CIRCA RELIGIONEM,

EX VAM
Ex Auctoritate
Magnifici ICTORUM ORDINIS,
Sub PRÆSIDIO
FRIEDER. AUGUSTI

*Q*uedeckens/
J. U. D.

In Auditorio Ictorum,

Ad d. Augusti 1694.

Publice tuebitur

LOTH SIEGMUND de MINCKWITZ

Eques Lusat.

WITTENBERGÆ, Typis MARTINI SCHULTZII.

